6
25-E
12

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
28 I
22

6-25.E.12

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO
CHRONOLOGICA

Quâ communis & antiqua ſententia de anno Natali, & Ætate

SANCTI FRANCISCI
DE PAULA

Ordinis Minimorum Inſtitutoris deffenditur & confirmatur;

Et nova, quam Daniel Papebrochius S. I. Theologus & Actorum Sanctorum poſt Jo. Bollandum eruditiſſimus collector propoſuit, refellitur & evertitur.

Autore F. FRANCISCO GIRY ejuſdem Ordinis in Provincia Franciæ Provinciali.

Nihil innovetur, niſi quod traditum eſt.
Steph. Papa.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA
BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

PARISIIS,
Apud F. Muguet, Regis & illuſtriſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis Typographum.

M D C L X X X.
Cum Privilegio Regis & Approbatione.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI. P.

ALPHONSO LAURENTIO

DE PEDRAZA,

LECTORI JUBILATO.

SANCTÆ HISPANIARUM Inquisitionis Qualificatori, Totiusque Ordinis Minimorum Generali Meritissimo.

SPONTE advolat ad te, REVERENDISSIME PATER, *licet longissimè distantem, & gravissimis Religionis negotiis intentum, dissertatio nostra de Anno quo natus est, & Ætate quam vixit sanctissimus Ordinis nostri Fundator Franciscus de Paula. Nec immeritò quidem; cujus enim protectionem ambire magis, sibique conciliare debeat, quàm ejus qui eumdem Beatissimum Patrem & virtutum merito,*

& muneris dignitate repræsentat? Occurrerunt certè non pauci erga nos pro sua benignitate eximiè propensi, quibus hæc opella quantula-cumque offerri & dedicari poterat: sed nemo alius cui jure debita; nemo cui cum pari æquitate, parique patrocinii spe, ullatenus posset consecrari. Memini quanto cum consensu, quanto cum omnium Ordinum & Nationum plausu, in Comitiis Mediolanensibus, Summus Religionis Antistes, quem Generalem vocamus, fueris renuntiatus. Aderant plures & ætate & Religiosa Professione longè antiquiores. Aderant insignes ex toto Ordine Theologi, quos vel subtiliter arguentes, vel subtilius respondentes non semel contigit admirari. Aderant celeberrimi variarum linguarum Ecclesiastæ, quibus è suggestu perorantibus, magnus fiebat totius undique concionis applausus. Aderant & singuli Provinciarum administri, qui Provinciales ideo nuncupantur, & cum iis merititissimi socii, eodem jam munere plu-

Digitized by Google

ries defuncti, earumdemque Provinciarum ut plurimùm optimi & sapientissimi. Aderat tandem Reverendissimi Decessoris tui selecta societas, cujus sollicitudini & providentiæ per sex jam annos totum ipsius Ordinis pondus incubuerat. Interim inter tot & tantos summo apice dignos, nullatenus dubitatum est in quem singulorum vota converterentur, quisque nostris omnium capitibus imponeretur, sed quasi numinis inspiratione, universum in hoc conspiravit Concilium, ut REVERENDISSIMUS PATER ALPHONSUS LAURENTIUS DE PEDRAZA *& altiùs eveheretur, & qui ultimus esse semper optaverat, in prima Ordinis sede collocaretur. Modestiæ tuæ procul-dubio gravis aut etiam importunus essem,* REVERENDISSIME PATER, *si quibus ad id fastigii gradibus ascendisti, longiùs commemorare susciperem. Dicam solùm quod omnes norunt, quodque nobis etiam tacentibus, innumeri alii loquerentur. Non attendit Ordo quod antea uni Ge-*

Digitized by Google

nerali ab Epistolis, ut Secretarius; alteri ab intimis consiliis, ut Collega, negotiorum inde peritissimus jam evaseras. Non etiam attendit quod in sacro inquisitionis Hispaniarum consessu, honorificum Qualificatoris munus jam pridem consequutus fueras. Hæc nempe pluribus aliis communia. Id unum intuitus est, quod in te scientia cum humilitate, Religionis Zelus cum clementia & suavitate, prudentia denique cum fortitudine in gradu Heroïco feliciter adunarentur: ut videretur omnium virtutum chorus, quod olim de aliquo alio scriptum legimus, ad te exornandum miro modo conspirasse. Neque verò id quidem tunc, aliud verò subinde expertus est. Quin potius crescit in dies tui nominis fama, tuæ virtutis existimatio, cum in alto posita pulchriores undique radios emittat, & singulorum oculis faciliùs se præbeat admirandam. His itaque dotibus cum Beatissimi Patris Francisci viva effigies effectus sis, ejusque sedem dignissimè occupes; an non

Digitized by Google

hoc-ce opusculum, quod ad longævam ejus senectam à novæ cujusdam adinventionis injuria vindicandam, susceptum est, tibi præcipuè, tibi etiam unicè consecrandum fuit? Nec mihi dubium quin illud ipsum Paternitati tuæ Reverendissimæ gratissimum sit futurum, tum quidem eo nomine quod ad amantissimi Institutoris gloriam pertinere videatur, tum etiam quia & ipsi tuæ Reverendissimæ non parum conducere poterit ad seniorum animos in regularis observantiæ, & vitæ præsertim quadragesimalis amore ac studio confirmandos. Occurrent siquidem in decursu tuarum visitationum non pauci, non modo septuagenarii, verùm etiam octogenarii, aut nonagenarii, quos ad eam vitam ad ultimum usque spiritum observandam sanctissimi Patris exemplum hactenus animavit; qui si putarent eum non ad Nonagesimum primùm, sed ad sexagesimum nonum dumtaxat annum eam produxisse, forte animo despònderent, & nonnihil de pristina virtute & constantia remitterent.

Sed cum tanta hîc evidentia probatum sit, eum in summa vitæ asperitate, & in perfecta à cibis paschalibus, omnique fere obsonio abstinentia, annum etiam Nonagesimum primum aut attigisse aut complevisse, habebit profecto Paternitas tua Reverendissima quo vel ignavos stimulet, vel generosos in sancto proposito statuat, confirmetque. Hunc ego fructum de exiguo labore nostro speravi, qui si feliciter contingat, non ideo quidquam mihi tribuendum, sed totum, qualecumque est, ad Deum Opt. Max. à quo omne datum optimum & omne donum perfectum descendere veritas docet; omnino referendum. Id unum mihi non arrogare non possum, ut tum universi cui adeo sapienter præes Ordinis, tum tuæ Reverendissimæ Paternitatis protester me,

REVERENDISSIME PATER,

Humillimum & obsequentissimum in Christo servum ac subditum,
F. F. GIRY.

Digitized by Google

INDEX CAPITULORUM
QUÆ IN PRÆSENTI DISSERTATIONE CONTINENTUR.

Errata sic benignè corrigenda.

PAg. 5. *l.* 21. institutæ. *p.* 8. *l.* 22. 1539. *p.* 14. *l.* 29. quid. *p.* 16. *l.* 26. asservatis. & *l.* 30. Canonizationis. *p.* 17. *l.* 6. ipse. *p.* 20. *l.* 28. conjecturæ. *p.* 26. *l.* 29. quid. *p.* 41. *l.* 20. rationi. *p.* 42. *l.* 12. infectâ. & *l.* 15. præstitere. *p.* 46. *l.* 30. dicit. *p.* 49. *l.* 8. è. *p.* 56. *l.* 17. ictu. *p.* 57. *l.* 5. conscriptas. *p.* 62. *l.* 12. ne. *p.* 69. *l.* 17. mari. *p.* 79. *l.* 8. sumpta. *p.* 82. *l.* 5. in. *p.* 86. *l.* 22. Victonio. *p.* 113. *l.* 17. easdem. *p.* 120. *l.* 1. tu. *p.* 126. *l.* 7. ei. & *l.* 24. putes. *p.* 137. *l.* 24. memoriæ. *p.* 138. *l.* 30. ullam. *p.* 151. *l.* 18. devenisse. *p.* 164. in tit. qua. *p.* 176. *l.* 24. recensitum. *p.* 177. *l.* 17. migravit.

FACULTAS REVERENDISSIMI Patris Generalis.

NOs Frater Alphonſus Laurentius de Pedraza , ſacræ Theologiæ Lector Jubilatus , ſanctiſſimæ Inquiſitionis in Regno Cordubenſi Qualificator, ac totius Ordinis Minimorum ſancti Franciſci de Paula Corrector Generalis &c. Reverendo admodum Patri Franciſco Giry, in noſtra Provincia Franciæ Provinciali ſacræque Theologiæ Lectori emerito licentiam concedimus, imo & mandamus, ut ad honorem ſancti Patriarchæ noſtri , librum cui titulus eſt *Diſſertatio Chronologica de anno Natali & Ætate S. Franciſci de Paula*, &c. Typis mandari Curet ; dummodo priùs per VV. Patres Renatum Thuillier & Joannem B. de Saint-Lo Ordinis noſtri Theologos examinetur & approbetur : Et in fidem &c. Datum in hoc noſtro Neapolitano Conventu hac die 29. Maii anni 1680.

Fr. Alphonsus Laurentius de PEDRAZA, Cor. Generalis.

Locus † ſigilli

De mandato R. P. N. Generalis
Fr. Marcus Antonius Lespinay,
Collega Gallus & Secretarius.

Digitized by Google

Approbatio Theologorum Ordinis.

EXcommissione Reverendiss. P. N. Generalis, Evolvimus *Dissertationem Chronologicam de anno Natali & Ætate S. P. N. Francisci de Paula*, à R. admodum Patre FRANCISCO GIRY, Provinciæ Franciæ Ordinis Minimorum Provinciali dignissimo, ac Sacræ Theologiæ Lectore emerito compositam; eamque utpote pro veritate eleganter & perspicuè certantem approbavimus. Testantes fideles quosque inoffenso pede posse illam decurrere. Datum in Conventu Minimorum Parisiensi ad Plateam Regiam hac die 30. Julii 1680.

Fr. RENATUS THUILLIER, Corrector dicti Conventus.

Fr. J. BAPTISTA DE S. LO, Theolog.

& urbem ipsam Paulam undequaque lustraverat; jam prope illam celebrem processum fieri curaverat, in quo duo supra centum testes auditi, & cujus sextus informationis articulus erat an Sanctus esset baptizatus; jam ipso decies in judicio comparuerat pro actis ipsius Canonizationis proferendis. Quis post tantam sollicitudinem putet eum examen Ætatis Sancti ad id tempus distulisse, quo de ejus gloria brevi pronuntiandum erat? Sed &, si Paulam non scripsit nisi in ipso faciendæ relationis articulo, paucis scilicet ante id diebus; quomodò ante relationem responsum Paulâ accepit? neque enim illuc Româ vel iter breve & commodum, vel frequentes & expediti cursores, vel facilis ac semper parata navigatio: quin omnia contraria: unde est quod in hoc Papebrochii dicto convenientiam desideremus.

Quartò, nec minus figmento simile, quod religiosi Paulæ libros quidem baptismales evolverint, sed ita properè & imprudenter, ut cùm ab anno 1430. ad annum 1437. descendere deberent, econtra ad annum 1416. ascenderint, ibique cujusdam nominis similitudine decepti, quieverint. Quis enim non videat hæc in favorem novæ sententiæ, & in antiquæ præjudicium gratis & ex professo esse composita? Scio

eventum hunc solùm conjecturaliter proponi. Sed nec ipsa conjectura ferri potest. Nam imprimis satis probabile est quòd tunc codex ille baptismalis, quo Sancti nomen fuerat inscriptum, casu aliquo perierat, nec poterat inveniri, quod in pluribus aliis Ecclesiis sæpius factum dolemus: Cùm in processu Cosentino quo de ejus baptismate diligentiùs inquisitum est, nulla prorsus illius mentio facta fuerit. Deinde sanus ille fuerit & integer: quâ tandem ratione, quo fundamento, religiosi illi boni & fideles, & ipse Parochus codicis custos & inquisitor, in re tanti momenti, oscitantiæ insimilabuntur? Siccine licet hujusmodi notam hominibus innocentibus, quique profectò, ut reor, nihil tale unquam cogitarunt, nedum commiserunt, vel conjectando, inurere.

Quòd si ex ipsis adversarii cogitatis pro nostra causa argumentari fas est, dixerim illud, si fuisset, Paulanorum hominum factum, longiorem Sancti Ætatem non obscurè demonstrare. Cur enim illi ab anno 1430. inquirere cæpissent? cur non descendendo, sed ulteriùs ascendendo progressi essent? cur in anno 1416. adeò remoto tandem quievissent, nisi quia illis jam persuasum erat Sanctum plusquam octogenarium obiisse, & saltem ad annum nonagesimum ac-

cessisse? quòd si de sexaginta novem annorum Ætate vel subdubitassent, non ita fuissent stolidi ut lustrato anno 1430. ad viciniorem annum 1437. non pervasissent.

Quintò tandem, quidquid de Francisco Martorell ad annum 1416. in baptismali codice designato conjectat Papebrochius, tam facile rejicitur, quam adducitur. Fuerit enim aliquando Franciscus ille Martorell, Regis Alfonsi Notarius & Secretarius: at quis unquam dixit scripsit-ve eum vel Paulæ natum, vel eâdem quâ Sanctus parœciâ baptizatum, vel ad annum 1416. codici inscriptum? quis unquam tradidit eum Sancti patruum, aut patrinum, & Jacobi Martotillæ fratrem, aut consanguineum. Similia, inquies, sunt nomina; fateor, sed non eadem, nec si eadem essent, sufficiens ratio esset ea omnia conjectandi: quot enim sunt iisdem nominibus nuncupati, qui ad eamdem cognationem nullo modo pertinent? Ergone sine teste, sine scripto, sine ulla vel traditionis umbra, ex solâ nominis apud Ughellum alium-ve autorem reperti non identitate, seu convenientiâ, sed similitudine tot nova licebit suspicari.

Cæterum demus hic adversario Paulæ inquisitionem esse factam, Franciscum Martorell pro Sancto esse sumptum, codicis

baptismalis exscriptum Romam missum esse, & allatum: si jam Bineti aliorumque Fratrum Romæ degentium, si jam Simonetæ & Cardinalium animo insederat Franciscum de Paula per septuaginta tantùm annos vixisse, quo putas oculo, quâ mente illud excepissent? credis, quòd non contradixissent, quòd non se opposuissent, quòd ex nominum disparitate erroris illud non arguissent, quòd tantum mendum in relationem coram summo Pontifice faciendam absque novo, eoque accuratiori examine inferri passi essent? Incredibilia prorsus sunt ista, & apud neminem cordatum, ut puto, fidem unquam habitura. Cùm ergo constet nihil prorsus simile factum esse, ex ipsius adversarii conjecturis liquere debet omnium hanc unam fuisse sententiam Sanctum per nonaginta & unum annum cœlestem in terra vitam produxisse.

Stat igitur invictum, & undequaque communitum Jacobi Simonetæ de Sancti Ætate testimonium, nec illud erroris, sed potiùs veræ ac certæ sententiæ fons & origo dici debet. Ruunt verò econtra, & in ipsum Papebrochium recidunt omnes, quas ad illud infirmandum proposuit, conjectura & rationes. Ad quod etiam non parum facit quòd illa ex qua testimonium extractum est doctissimi Simonetæ relatio, quâ

vix aliud ea ætate elegantius, adeò ſummis Pontificibus, & Eccleſiæ Romanæ placuerit, ut in officium Eccleſiaſticum ſit adoptata. Nempe in octo partes illorum autoritate ſecta eſt & diſtributa; & pro lectionibus ſecundi Nocturni per Octavam Feſti Beati Franciſci legendis, eſt aſſignata. Ubi ſubinde die Octava, lectione quarta, legitur. *Migravit apud Turones lætus & exultans, anno à Natali Chriſti 1506. computando more Gallicano: Romano vero more an. 1507. ſuæ vero Ætatis nonageſimo primo.*

CAPUT III.

Secunda ſententiæ noſtræ probatio ex Bulla Canonizationis S. Patris Franciſci de Paula, petita.

INGENUE & ultro fateor in Bullis Canonizationum ſolam definitionem quæ ſanctorum gloriam determinat, omnino certam & indubitatam fidem habere, cui repugnare nefas ſit; cætera verò quæ vel ad eorum hiſtoriam & res geſtas pertinent, vel in eorum commendationem inſeruntur, eâdem vi & autoritate non pollere, ſaltem ſi diviſim ſeu ſeparatim accipiantur. Interim nemo negaverit, nec ipſe, ut reor, eruditiſſimus Collector, quin inter

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

argumenta quæ ex hominum petuntur testimonio, maximum imò & præcipuum locum illud obtineat quod ex hujusmodi Bullarum relatione desumitur. Idque non una ex causa. Primò, quia nihil in eis narratur quod sub diligenti & maturo examine non sit ponderatum. Secundò, quia ad eas componendas non adhibentur nisi viri prudentes, oculati, periti ac sagaces, qui verum à falso discernere consueverint, nec facilè in rerum indagatione decipi se sinant. Tertiò, quia ipsa Dei autoritas aliquo modo in eas influere videtur, cùm ad ejus providentiam pertineat impedire, ne in similibus quæ à summo Pontifice toti Ecclesiæ legenda proponuntur, errores & menda facilè se immisceant. Uno verbo, diploma Canonizationis est velut expressio omnium processuum ad illam in curia Romana factorum; at hos-ce processus doctissimus Papebrochius aliis præviis & informatoriis quæ per loca diversa construuntur, comparans: ait, pag. 194. *Processus in curia pro super-eminenti judicum à sede Apostolica constitutorum dignitate, & examinis minutissima quæque expendentis maturitate, priores illos superant infinitis propemodum gradibus.* Cujus ergo ponderis, cujus vis & autoritatis diploma illud Pontificium esse debet?

Non est nostri genii Bullam Canoniza-

tionis sanctissimi Patriarchæ cæteris ejusmodi diplomatibus anteferre. Dicam solùm nihil illi defuisse etiam pro rebus gestis quas refert confirmandis, ad omnem humanam autoritatem. Enimverò si examinis districtionem spectes, patet ex lectione ipsius Bullæ non potuisse esse majorem. Quoties enim processus ad lancem revocati? quoties ad Pontificis audientiam delati? quoties in Consistoriis Advocati ipsi Consistoriales ea de re sunt auditi? uno verbo, tanta fuit, ut etiam cùm de anno obitus Sancti ageretur, vocati sint testes non ignobiles, qui medio juramento deponerent annum in Gallia non computari à principio Januarii pro more Romano, sed solùm à die Resurrectionis, quo fiebat ut Sanctus apud Gallos diceretur obiisse an. 1506. etsi mortuus esset secunda Aprilis, occurrente ante Pascha, an. 1507. ut refertur in calce magni illius processûs, qui communiter Calabricus appellatur.

Si verò ipsius diplomatis autorem attendas, fuit nempe, ut traditum est, vir ille maximus qui subscriptus reperitur, Jacobus Sadoletus, doctrinâ & pietate suo tempore nulli secundus, cujus vitam & elogium, post Antonium Florebellum, luculentissimè prosequutus est noster Ludovicus Donius Attichius Episcopus Æduensis

in suo Sanctorum Cardinalium Florilegio, tom. 3. Erat tunc scribendis Pontificiis litteris cum Petro Bembo, solo hoc nomine notissimo, deputatus. Postmodùm verò Episcopus Carpentoractensis creatus, etiam in sacrum Cardinalium Collegium ascitus est: quo in apice purpuram, dignitatis insigne, decoravit potiùs, quàm ab ipsa sit decoratus. Quid nisi securum ac certæ & indubiæ veritatis à tali tantoque viro prodire potuit?

Si demum Pontificiæ autoritatis ac Dei per illam influxum exoptes, nempe illa Bulla à Leone X. summo Pontifice post approbatas multiplices Cardinalium relationes, ad omnes Christi Fideles est directa: *Ne de tam celebri*, inquit, *viro posteritas maneret ignara.* Summam igitur etiam quantùm ad Historica meretur fidem & venerationem.

His præmissis videamus quid diploma illud de Sancti Ætate nobis edisserat: nempe eum nonaginta annos prætergressum, & nonagesimo primo Ætatis anno esse mortuum. Sic enim habet. *Postero autem die, cùm idem Beatus, fidelisque Dei servus tempus instare videret, quo sibi ex hac lachrymarum valle migrandum erat, dictos fratres suos ad se convocari jussit, eosque ad fraternam pacem, mutuamque charitatem dulcissimis ver-*

bis, ac salutaribus monitis charitativè exhortatus est, illisque benedictione more solito impertitâ : cùm jam NONAGESIMUM PRIMUM, *vel circa, annum feliciter implevisset, anno à partu virgineo millesimo quingentesimo septimo, Aprilis verò secundâ, quæ tunc fuit Parasceves, veneris sanctæ nuncupata, circa horam quâ pro nobis Christus passus est, signo crucis devotè signatus, omnibusque Sacramentis Ecclesiasticis debitè communitus; perlectâ coram eo Dominicâ Passione, junctis devotè manibus, erectisque in cælum oculis, sanctæ Crucis triumphum piè amplectens, reverenterque osculans, ac sæpius,* In manus tuas Domine commendo Spiritum meum, *aliasque pias orationes devotissimè repetens, dimissâ hujus carnis sarcinâ, quasi vivens, absque aliquo doloris aut mortis notabili signo, migravit ad Christum.* Quid, amabo, clarius? quid illustrius? notatur annus, notatur mensis, notatur dies tum mensis, tum hebdomadæ, tum etiam Ecclesiastici per annum officii, notatur hora, notatur modus felicissimi obitus, denique notatur distinctissimè Ætas ipsa: ac ne quid erroris subsit, statim addirur, vel circa, quod summæ in autore fidelitatis argumentum est.

Ad hæc quid Papebrochius? Error est, inquit, quem autor Bullæ ex Simonetæ relatione, cujus ignarus esse non potuit,

inadvertenter hausit. At, inquam ego, unde habes autorem Bullæ hunc Ætatis Sancti numerum ex Simonetæ relatione hausisse? Certè non is solus ipsius vitam apud summum Pontificem retulerat. Retulerat bis Angelus Cæsius Juris utriusque Doctor, & sacri Palatii Advocatus Consistorialis, semel quidem copiosiùs, in publico Consistorio, iterum verò breviùs, convocatis ad audientiam omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, in curia Romana tunc degentibus. Retulerant etiam, idque frequentiùs, in secretis Consistoriis, Eminentissimi Cardinales pro Canonizationis negotio judices deputati. Cur ergo non ab his potiùs, quàm à Simoneta, de quo altum in Bulla silentium, Ætas Sancti desumpta est? Adde non indiguisse Sadoletum quem Bullæ autorem diximus, quidquam ex illis relationibus mutuari, cùm ipse nulli doctrinâ, peritiâ, & mentis sagacitate cederet, & illi præsto essent iidem fontes, ex quibus alii haurire potuerant. Certè diploma Canonizationis à Simonetæ relatione plurimùm diversum est.

Verùm à quibuscumque autor Bullæ Ætatem Sancti mutuatus sit, ab omni certè errore & deceptione immunis esse decernendus est. Nam si quis fuisset in actis processuum longiori illi Beati viri senectæ con-

trarium, id profecto Sagacissimum illum Secretarium, sicut & Advocatos Consistoriales, & Cardinales deputatos, & eum, de quo supra, Simonetam fugere nullo modo potuisset. Ac nisi adfuissent sufficientia pro productiori illa Ætate testimonia & monimenta, nunquam hi coram summo Pontifice, in privatis, publicisve Consistoriis pronuntiare, nunquam ille in Bulla assertivè scribere, & posteritati consignare ausus esset, Sanctum, expleto jam nonagesimo primo anno, vel circa, è vivis sublatum esse. Is certe honor viris & doctissimis & peritissimis deferendus est, ut nihil leviter aut cæco modo, in re talis momenti dixisse vel scripsisse existimentur.

At, inquit Papebrochius, nulla apparent ejusmodi testimonia & monimenta, sive in processibus præviis, in Gallia & Italia factis; sive in processu Romano seu Curiali.

Respondeo primò, esto non appareant, an sequitur quòd non fuerint? an sequitur quòd viri illi sapientissimi, & in hisce materiis exercitatissimi cæco modo, aut leviter rem definierint? an sequitur quòd suâ in perquirendâ veritate negligentiâ, fideles omnes errori exposuerint? quot periere antiqua monumenta? quot acta disparuere? an non queritur ipse Papebrochius ex omnibus processibus hactenus ad Canoni-

zationes factis, se duos tantùm Romæ nancisci, & recuperare potuisse.

Respondeo secundò, satis fuisse ad Ætatem Sancti definiendam, publicam famam: communem eo tempore illius morti adhuc vicino, traditionem: Minimorum Romæ commorantium nulli suspicioni obnoxiam attestationem imaginum & picturarum, jam forte qualem nunc legimus, subscriptionem, privatas etiam litteras, privataque scripta, quæ judicibus, Advocatis, Secretario fuerint ostensa.

Respondeo tertiò, nec alia ad eam monimenta defuisse. Nam in primis Franciscus primus Rex Christianissimus, & Claudia Regina ejus consors, Ducesque tum Alençonius tum Borbonius, in suis ad summum Pontificem, & ad sacrum Collegium Cardinalium Epistolis, quæ judicialiter productæ sunt, maximè commendant magnam constantiam, longamque Sancti perseverantiam: quod longioris vitæ non leve argumentum est. Deinde, testis sextus in processu Turonensi auditus, deponit quod suo judicio nullus mortalium post sanctum Joannem Baptistam, tam perseveranter & longo tempore vitâ vixit tam austerâ quàm defunctus Frater Franciscus, quod certè dicere non potuisset, si Sanctus septuagenarius obiisset, cùm homines com-

muniter ad hunc terminum accedant. Præterea apparet ex Epilogo vitæ ſanctiſſimi Patriarchæ ab uno ex ejus diſcipulis eo adhuc vivente conſcriptæ, ejuſmodi libellum coram Leone X. nempe ad effectum Canonizationis, lectum fuiſſe. Ibi verò ſtatim ab initio notatur annus Natalis Sancti, videlicet milleſimus quadringenteſimus decimus ſextus, ut infra demonſtrabitur. Quidni etiam producta & lecta fuerit legenda major ejuſdem Beatiſſimi Franciſci, à Reverendo P. Laurentio Clavenſi ſui Ordinis compilata, de qua Gubernator, Prætor & Univerſitas terræ Reginæ in Calabria, mentionem faciunt in ſuis ad eumdem ſummum Pontificem litteris, quæ in proceſſu Calabrico referuntur? Quidni & alia ejuſmodi, in quibus non dubito quin Ætas & annus Natalis Sancti fuerint annotati? Non ergo defuere Sadoleto ſufficientia de iis monimenta, ut non temerè, non leviter, non cæco modo, non erroneè affirmaverit Sanctum anno 91. Ætatis obiiſſe.

Dicet iterum adverſarius, nullum legimus in proceſſibus de Sancti Ætate examen factum fuiſſe, quid ergo mirum ſi error aliquis circa hunc articulum in Bullam Canonizationis obrepſerit?

Reſpondeo, forte non eſſe factum examen authenticum & judiciale, quod mul-

tas requirit solemnitates. Sed nemini dubium esse debet quin factum fuerit examen privatum & extra judiciale, aliàs Bulla nihil prorsus ea de re statuisset : id autem omnino sufficiens erat, cum res esset planissima & sine controversia, & aliunde ad substantiam Canonizationis non pertineret.

Finem impono huic argumentationi, addendo quòd si error & novitas circa Sancti Ætatem in Bullam Canonizationis invecta esset, contra recentem in ordine memoriam, & communem eorum sensum qui eidem Beato convixerant, eumque sæpe & familiariter fuerant alloquuti, fieri nequiret ut cùm ea Bulla divulgari, & per Italiam, Franciam, Hispaniam & Germaniam publicari cæpit, nemo mendum agnovisset, nemo contradixisset, nemo se opposuisset, nemo rem novam & inauditam esse conclamasset ; quis enim cùm veritati notissimæ præjudicium fit, hominum mentem, linguam, calamum valeat cohibere ? Igitur cùm nulla sit hujus in ordine memoria, nullum vestigium, nulla traditionis umbra vel minima, etiam in primariis illis Conventibus, ubi tunc plurimi religiosi vivebant, Beati viri convictu non ita pridem honestati, sed neque in actis capitulorum Generalium aut Provincialium,

Digitized by Google

omnino nos decet præfatum Bullæ errorem ut paradoxum ac prorſus fictitium rejicere.

Senſit Papebrochius hujus rationis pondus eique ſatisfacere conatus eſt, pag. 197. num. 11. ſed ut puto ſatis infeliciter. Sic enim ait. *Non credidero fieri potuiſſe ut annis poſt Sancti obitum dumtaxat undecim, recentique adhuc memoria, nemo fuerit in Italia, Franciaque, cui ſcrupulum moverit illa longior Ætas tunc primùm aſſerta. Potiùs æſtimavero illius vel accuratiùs indagandæ, vel veriùs definiendæ curam, Bullâ Canonizationis jam vulgatâ, viſam fuiſſe ſuperfluam, conſultioremque diſſimulationem erroris, quàm importunam correctionem.* Quibus verbis duo ſignificat; primum eſt, publicatâ Bullâ, nonnullos ſine dubio tum in Italia, tum in Francia ſcrupulum ſeu repugnantiam paſſos eſſe ob longiorem Ætatem priùs quidem inauditam, tunc verò primùm aſſertam. Secundum eſt, interim ſcrupulum illum eſſe diſſimulatum, quia cura corrigendæ Bullæ viſa eſt ſuperflua, & importuna; & ſilentium utilius ac conſultius.

Ruit profectò ſeipsâ hæc reſponſio, nec nova refutatione indiget, Interim ne quid dubitationis remaneat, breviter diſcutienda eſt. Atque imprimis quæro à doctiſſimo

Collectore unde tandem habeat vulgatâ Bullâ natum esse in plurium animis illum quem vocat scrupulum? Contendo quidem, quòd si novitas & falsitas contra publicam ordinis scientiam in Bullam invectæ essent, non potuisset fieri, quin publicatâ Bullâ non modo scrupulus, sed & oppositio & contradictio plerorumque animos occupasset: & in hoc gratulor nobiscum sentire adversarium. Sed ubi obsecro legit? à quo didicit? quâ ratione deprehendit, fuisse re verâ talem scrupulum? scrutamur Historias, Chronica, codices Conventuum, acta Capitulorum, traditionem ipsam non scriptam; altum ubique de illo silentium. Nihil tale sive Romæ, sive Paulæ, sive Turonibus, sive Nigeoni prope Parisios notatum reperitur. Ergo istud confictum est, nec apud quemquam veritatis amatorem fidem habere debet.

Secundò, quæro ab eodem, quomodò factum esset, ut scrupulus ille ubique, velut unanimi consensu, nulloque refragante, dissimularetur & comprimeretur? Non sic hominum animi, præsertim nullo imperante, concordant. Non sic Itali cum Gallis, istique cum Hispanis, Germanisve conveniunt. Quod unus vult, alter non vult: quod unus approbat, alter improbat. Esto igitur, aliquis quietis amantior dissimulandum

DISSERTATIO
CHRONOLOGICA

Quâ communis & antiqua sententia de anno Natali, & Ætate
S. FRANCISCI DE PAULA
Ordinis Minimorum Institutoris deffenditur & confirmatur;

Et nova, quam Daniel Papebrochius S. I. Theologus & actorum sanctorum post Io. Bollandum eruditissimus collector proposuit, refellitur & evertitur.

CAPUT PRIMUM.

Materies & causa dissertationis.

PRODIERE nuper operâ ac studio Godefridi Henschenii, & Danielis Papebrochii, eruditissimorum è Societate Jesu scriptorum, acta sanctorum Aprilis, tribus tomis distributa. In primo tomo, qui decem ejusdem men-

Digitized by Google

ſis dies complectitur, occurrit ad ſecundam diem, Vita & Hiſtoria S. P. Franciſci de Paula, Ordinis Minimorum Inſtitutoris, ab uno ex illis, videlicet Daniele Papebrochio, qui ſibi hanc provinciam, partito inter utrumque immenſo illo opere ſeu onere, aſſumpſerat, digeſta & concinnata. Nihil omiſit ſtudioſiſſimus collector quod ad rem propoſitam conferre poſſet: neque enim ſolùm ea omnia acta collegit, quæ ad præfatam hiſtoriam pertinere videbantur; ut ſunt Philippi Cominæi teſtimonium de ſancto quod l. 6. ejus commentariorum c. 8. reperitur: vita ipſius Sancti à quodam ex ejus diſcipulis, eo adhuc vivente, compoſita, quæ nondum edita erat: & tres ad ipſius Canonizationem proceſſus, Conſentinus videlicet, Turonenſis, & Calabricus: ubi innumeræ de ejuſdem miraculis teſtium depoſitiones continentur: quæ etiam omnia ſibi à noſtris communicata, notis litteralibus, hiſtoricis, geographicis, & chronologicis doctiſſimè, prò more, illuſtravit: verùm ſpeciali quo in ſanctiſſimum Patriarcham, ejuſque ordinem tangitur affectu, ex iiſdem actis novam vitam, ſeu hiſtoriam compoſuit, per annos ſecundùm ordinem chronologicum, ſingulari ſtudio, multoque cum labore, diductam: pro quo non

possumus quin viro religiosissimo, & imprimis erudito totamente gratulemur.

Interim amica, utpote litteraria, nobis cum eodem contentio hic habenda est; de Anno quo natus est, & de Ætate quam vixit Beatus ipse Franciscus. Si quidem cùm à ducentis fermè annis absque ulla controversia, nulloque penitus refragante, creditum esset, sanctissimum Patriacham 91. annos vixisse, & subinde qui an. 1507. defunctus fuerit, an. 1416. natum esse; prædictus pater novam omnino opinionem proposuit, & variis argumentis confirmare nisus est, eum scilicèt non plus quàm 69. aut 70. annis in hoc mundo superfuisse, nec proinde ante annum 1437. in lucem editum. Id nimirum præstat in procemio supplementi Historici, quod à pagina 194. ad pag. 197. excurrit. Ego autem omnibus illius rationibus diligenter expensis, actisque, quæ in suæ sententiæ confirmationem profert, summo studio ponderatis, liberè pronuntio ab antiquo calculo nullatenus esse discedendum, quin-imo ratum & indubitatum esse debere, sanctissimum Patrem Annos 91. vixisse; & (quod in idem redit supposita mortis illius epocha, nulli dubia,) anno 1416. vitam inchoasse.

Sunt & aliæ notæ Chronologicæ circa eamdem ipsius vitam à doctissimo Colle-

ctore contra communem calculum affixæ; quæ & ipsæ examine & censurâ pariter indigeant, ut quòd Sanctus anno solùm 1452. in desertum concesserit, & quòd anno dumtaxat 1456. aut 1457. ordinem inchoaverit, & conventum Paulanum fundare cœperit. Itemque quòd non senex, sed virentis adhuc ætatis, & annos tantùm 44. natus, Italiam reliquerit, & in Galliam, instante Ludovico XI. migraverit: cùm è contra censeamus eum an. circiter 1429. deserta petiisse, & anno circiter 1435. ordinis fundamenta jecisse: quódque non minùs quam 65. aut 66. annos natus, sedem mutaverit, & Turones ad Ludovicum XI. advenerit. Sed cùm hujusmodi actionum seu eventuum notæ ex Superioribus illis omninò dependeant, semelque constituto anno Sancti Natali, & eo quem vixit annorum numero, reliqua, consentiente ipsô Papebrochio, sine difficultate permaneant, tota hæc dissertatio ad duo illa capita inseparabiliter connexa dirigetur, atque id maximè sibi proponet, ut antiquam & communem de illis sententiam efficacibus argumentis confirmet & stabiliat; & novam, dissolutis Papebrochii fundamentis, enervet & convellat.

Cæterùm nemo sibi persuadeat de re parvi momenti, utpote de notis seu nume-

ris Chronographicis, hic esse quæstionem. Agitur de viginti duobus annis aut circiter sanctissimi Patriarchæ Ætati detractis & abrasis, quod non parvùm est ejusdem meritorum decrementum. Agitur de illius gloria non parum imminuta: quis enim neget ad eam gloriam maximè pertinere quòd in tanta vitæ asperitate, & in cælesti adeò conversatione ad nonagesimum primum usque Ætatis annum, semper idem, semper sibi constans, nemini gravis, omnibus gratiosus, ac prorsus irreprehensibilis perseveraverit. Novimus certè Concionatores hanc ejus vitæ circumstantiam magnoperè ponderasse, & ex ea populos in summam ipsius admirationem adduxisse. Agitur de ipsa ordinis nostri, saltem quantùm ad primam ejus originem spectat, antiquitate: quò enim citior vel tardior fuerit sancti Fundatoris Nativitas, eò citior vel tardior instituta ab eo religionis fundatio. Agitur de antiqua illa & ubique recepta tredecim dierum veneris, in honorem Sancti devotione, in suo robore conservanda: quamvis enim ea aliis quoque rationibus innitatur, inde tamen præsertim fluxisse indubiè tenenda est, quòd Sanctus die veneris sanctâ obierit, & tredecim annorum hebdomadas, quæ nonaginta & unum annum conficiunt, impleverit. Agitur de

tuenda fide & honore omnium ejuſdem noſtri ordinis Hiſtoricorum & Chronologorum, quos Daniel Papebrochius palam quidem erroris, tacitè verò incuriæ & oſcitantiæ, licet eis ignoſcendum dicat, reprehendit. Quid plura? agitur de traditione in tota religione noſtra ab initio recepta, & nullo unquam tempore interrupta, à novitate, quam ejus loco ſubſtituere nititur, vindicanda: quod è re noſtra eſſe quis non videat? Sed & putamus hancce diſſertationem ipſimet collectori acceptiſſimam fore; utpote quæ prorſus amica ſit, & ad veritatem cujus ille ſtudioſſimus eſt aperiendam, unicè inſtituta. Et certè quomodò graviter ferret contra ſe moveri diſputationem, qui ſuas ipſe notas, ſuamque Chronologiam, novo lumine affulgente, ac veritate meliùs compertâ, nonnunquam, immutat & corrigit: quod magnarum mentium omnino proprium eſt. Deo igitur auxiliante, ac ſanctiſſima Virgine, & Beato P. Franciſco ſuffragantibus ad cauſæ probationes accedamus.

CAPUT II.

Prima sententiæ nostræ probatio, ex Iacobi Simonetæ sacri Palatii causarum Auditoris testimonio desumpta.

NON semel ab eruditissimo quem impugnamus collectore, nec-non & à Joanne Bollando, & à Godefrido Henschenio ejus antecessoribus, repetitum, in rebus Historicis & Chronologicis maximè standum esse scriptorum coævorum aut saltem supparium autoritati. Idque omnes critici communi calculo definiunt, nec profectò sine causâ. Certum est enim unicuique sua tempora, suamque ætatem, & res ad eam pertinentes, quas vel oculis usurpare, vel fidelissimâ testium oculatorum relatione cognoscere, vel ab iis ipsis qui rerum hujusmodi conscii fuerint discere licet, longè meliùs compertas esse, quàm posterioribus scriptoribus, qui non rarò incertis traditionibus plusquàm par est deferentes, in gravissimos errores abduci se sinunt. Scrutemur itaque an non sit aliquis sanctissimo Patriarchæ coætaneus; qui vel de anno ejus Natali, vel de ea quam vixit Ætate nos certiores efficiat.

Occurrit certe vir præstantissimus Jaco-

bus Simoneta ſacri Palatii cauſarum Auditor, qui de Sancti Vita & miraculis coram Leone X. Summo Pontifice an 1518. diſertiſſimè peroravit. Is enim cum eo in anno, qui poſt Sancti obitum ſolùm undecimus erat, jam eximio illo Auditoris munere, quod nonniſi viris maturæ ætatis tribui ſolet, digniſſimè fungeretur, non poteſt non ſatis diù, ejuſdem tempore, eoque vivente vixiſſe. Sed & ſunt alia in eo homine maximè ponderanda, quæ ad ejus teſtimonii commendationem conferunt non minimum.

Primum eſt, quòd vir eſſet acris ingenii & perſpicacis, ſummæ doctrinæ, & excellentis pietatis, quas ob dotes deinceps Auditor Rotæ, Epiſcopus primùm Peruſinus, tùm Piſaurenſis, Legatus Apoſtolicus, ac demùm S. R. E. Cardinalis à variis ſucceſſivè Pontificibus creatus eſt. Ut ex Sadoleto, Victorello, & Ughello refert Lanovius noſter in Chronico, ad annum 1439. quô ille è vivis exceſſit.

Secundum eſt, quòd Romæ degeret, & familiari noſtrorum in Conventu Sanctæ Trinitatis habitantium, quorum nonnulli Sanctum viderant, ejuſque Ætatem ignorare non poterant, conſortio & colloquio uteretur: à quibus proinde quærere & diſcere poterat, quid de illo Chronologiæ ar-

ticulo tenendum & dicendum foret.

Tertium eſt, quòd omnia acta ad Sancti hiſtoriam pertinentia præ oculis, præ manibus haberet; eaque nominatim quibus Papebrochius ſuam ſententiam inconcuſsè firmari exiſtimat: informationes, ſcilicet, ac depoſitiones Paulæ, Turonibus, Ambiani, & per totam Calabriam ad Sancti Canonizationem factas, quæ prout à Cardinalibus ad id negotii deputatis examinatæ & approbatæ erant, ad eum pro ſua ad Pontificem oratione ſeu relatione componenda, & adornanda, continuò mittebantur; quô fit ut vix quidquam ipſum latuerit quod de Sancto ſciri poſſet.

Quartum eſt, quòd eam relationem quæ de Sancto eſt, habuerit, ut diximus, coram Summo Pontifice, eoque oculatiſſimo, ac ejus juſſu, & coram frequenti Cardinalium & Prælatorum Pontifici aſſiſtentium conſeſſu: quo in caſu, notum eſt oratores ſummoperè cavere ne quid ſibi contra veritatem & hiſtoriam excidat, & propterea quod dicendum paraverint, ad examen & limam ſæpius revocare. Id verò Simonetæ accuratiùs cavendum fuit, qui ſtatim ab orationis initio ſic Pontificem affatus eſt. *Præcepiſti mihi Superioribus diebus Pater Beatiſſime, ut quæ de fama vita & miraculis Beati Franciſci, quem oppidum ca-*

labriæ Paula tulit, ex testibus comperissem, ea tibi veritatem agnoscere cupienti, fideliter referrem.

Quintum tandem est, quòd de re summi momenti tractaret, de homine videlicet in sanctorum album referendo, & ut jam in cœlis coronato, publicæ totius Ecclesiæ venerationi proponendo: ad quod non parum pertinebat nosse an solùm per 70. annos, an verò per 91. vitam sanctissimam, & incredibili ferè austeritate fulgentem, produxisset.

His positis videamus obsecro quid vir ille sapientissimus, coram consessu adeò sacro & venerabili, in negotio tanti momenti, non oscitanter & perfunctoriè, sed sollicitè præparatus, dixerit & pronuntiaverit. *Migravit*, inquit, nempe B. Franciscus, *apud Turones ad Dominum lætus & exultans, anno à natali Christi* 1506. *computando more Gallicano, Romano verò more, anno* 1507. *Suæ verò Ætatis nonagesimo primo.* En clarum & apertum testimonium, nullæ hic ambages, nullæ tenebræ, nulli qui dubitationem subindicent termini, locus, tempus, modus mortis viri Sanctissimi, & quæ tunc esset illius Ætas distinctè & perspicuè exprimuntur.

Quid ad hæc Papebrochius? Respondet Simonetam esse deceptum, & quod

humanum eſt, in errorem abductum. Sed, amabo, Papebrochi, Quomodò, & quâ ratione ille deceptus? an non omnia præ oculis, præ manibus habebat, unde non deciperetur, & ex quibus nudam erueret veritatem? an non acta quæ evolviſti, ipſe tenebat, legebat, ponderabat? an non præſto erant non unus aut alter, ſed plures ordinis fratres, qui Sanctiſſimo Parenti convixerant, à quibus ipſius Ætatem diſcere quàm facilè poterat? an non audiebat, quid publica fama, quid recenti memoriâ, quid naſcente jam traditione, fortè pluribus in locis, ac ſub Sancti imaginibus crebrò notatâ diceretur, & circumferretur? cur non potiùs tu deceptus, qui poſt centum ſexaginta annos aliud in actis deprehendiſti, quàm quod tot oculi, tot acutiſſima ingenia viderant & animadverterant?

Præterea ſi deceptus eſſet, quomodò à nemine admonitus & correctus fuiſſet? quid verò, nullus ne erat qui cauſarum Auditorem convenire, aut ad eum ſcribere, aut ipſum in conventum Sanctæ Trinitatis venientem alloqui, & de rei veritate certiorem facere auderet? vel certè nullus, qui aut iſta curaret, aut verum annorum quos B. Pater vixerat numerum, cognoſceret: prodigia ſunt iſta, & neſcio ſi quiſquam reperiatur qui eis fidem adhibere velit: ma-

ximè cum Simoneta suam ad Pontificem relationem prædicto conventui scripto dederit, unde postmodùm in lucem edita est, & magni momenti res esset errorem, si quis deprehenderetur, priùs corrigere, quàm in Canonizationis diploma inveheretur.

At inquit Papebrochius tota errandi causa fuit R. P. Franciscus Binetus, negotii Canonizationis Procurator Generalis, cui se (id enim addendum est) ut in rebus sui ordinis exercitatissimo, non credere piaculum existimasset doctissimus Simoneta. Sed ubi id legitur? quæ acta, qui libri, qui autores, vel coætanei, vel suppares, vel recentiores memorant Simonetam ab uno Bineto hoc hausisse? an non potuit ab aliis religiosis, à publica fama, ab imaginum & picturarum, quæ jam plurimæ erant, titulo & subscriptione? Deinde tantùm abest ut causæ nostræ præjudicet quòd Simoneta hac in re Bineti sententiam sit secutus, ut potiùs sit maximum & invictum ejusdem firmamentum, quod ut manifestius fiat, declarare oportet quis, & qualis homo fuerit iste Binetus.

Nempe ex ordinis historia compertum est, eum priùs quidem Turonibus Majoris-Monasterii Ordinis sancti Benedicti priorem fuisse, Postea verò à B. Patre Francisco suæ Religionis habitum suscepisse at-

que in illa professionem emisisse. Inde verò sanctissimo Parenti ob præclarissimas dotes acceptissimus fuit, ita ut familiariter illum adhiberet, eoque tum ad litteras scribendas, tum ad sui instituti regulas quas quartâ vice recognovit, latinitati donandas, tum ad alia suæ fundationis negotia frequentiùs uteretur: tantæque existimationis in novo ordine effectus est, ut primus post ipsum Generalis sit constitutus, & iterum ac tertiò ad id muneris, magno omnium applausu, sit revocatus: quin & in temporibus intermediis Procuratoris Generalis officio sit donatus. Sed neque scriptores nostri illius virtutes prætermittunt, ut qui illum inter illustriores fide, religione, & sanctimoniâ viros, quos ætas illa tulit, suis chronicis fastisque annumerent.

Ex eo duo evidenter sequuntur & necessariò inferri debent. Primum est, Binetum Ætatem Sancti sibi compertam non occultasse, nec mendacio ad id confictо augere voluisse: quippe id viro pio & sancto indignissimum est: nec nisi in vilem animam cadere potest. Secundum est, ipsum nec potuisse Ætatem illam ignorare: quis enim illam scivisset, si Binetus ignorasset? Binetus, inquam, tot annis cum Sancto conversatus, tam familiariter ab eo adhibitus; tam sæpè cum fratribus de eo collocutus;

ubi quid prodigio majus esset, si de boni Patris Ætate sermo aliquando non incidisset. Binetus iterùm, qui totum ordinem ut Generalis visitando lustraverat, qui nullum non religiosum fuerat allocutus, qui innumeros de Fundatoris vita & actibus testes consuluerat, & audierat, qui omnes processuum depositiones quas ipse ad judicium detulit, usque ad minutissimos apices examinaverat. Quid plura? Binetus, qui toties coram Regibus, Principibus, Cardinalibus, Episcopis, ac primæ conditionis matronis, negotium Canonizationis Sancti promoturus comparuerat, à quibus obvium erat, ut de ejus Ætate & senecta interrogaretur. Certè nemo erat cui ea res notior esse posset. Itaque tantùm abest ut relationi & testimonio Simonetæ quidquam noceat, quòd ex Bineti insinuatione ortum esse dicatur; ut potiùs maximum id ei pondus, maximam autoritatem, fidemque conciliet.

Sed audiamus obsecro Papebrochium de prætenso illo Simonetæ errore suis terminis, conjectantem. *Quæret aliquis*, inquit, *unde hauserit Simoneta anno Ætatis* 91. *obiisse Sanctum. Utique à totius negotii Procuratore Francisco Bineto. At hic ex Francia nihil attulerat unde Ætatem definiret. Quis ergo? Crediderim Paulam scripsisse ut libri bap-*

tismales consulerentur, idque in ipso relationis per Simonetam faciendæ articulo: illi autem dum properè evolvuntur, ab anno circiter 1430. *sursum ascendendo, comparuisse tandem sub annum* 1416. *nomen Francisci Martorell quem Sanctum nostrum esse crediderint, de ipsius Ætate non benè præ-instructi. Hic autem fuerit non is qui requirebatur Sanctus, sed alius ejusdem stirpis ac nominis aliquis, puta is qui in describendis Alphonsi Neapolitani Regis diplomatis, manum & nomen suum commodasse aliquando invenitur, ut ejus Notarius & Secretarius:... Potuitque is fuisse Iacobi Martolillæ frater, ac Sancti Francisci patruus, aut etiam ejusdem ex sacro fonte patrinus* &c.

Præclaræ profectò speculationes! sed unde hæc omnia? quâ nituntur autoritate? quo fundamento? siccine licet ad declinandum hominis docti ac coætanei testimonium ad hujusmodi conjecturas nulla ratione subnixas, & quibus plures alias similes effingere quivis posset, recurrere? sed singula propiùs dispiciamus.

Primò, jam diximus Simonetam ab aliis quàm à Bineto, videlicet à toto Conventu Minimorum Romano, Ætatem Sancti discere potuisse. Et si à Bineto, id ejus testimonium potiùs firmare, quàm evertere.

Secundò, gratis omninò dicitur Binetum nihil è Francia attulisse unde prædictam

mulandum censuisset, & veritatem ab errore oppressam commiseratus non esset. Quis tamen credat idem ab omnibus factum fuisse; & ita factum, ut ne privatâ quidem, & ad aurem traditione, voluerint quod verius sciebant posteritati consignare? Quis maximè id credat de capitulis Provincialibus & generalibus, in quibus tot videmus negotia agitata, tot constitutiones ad Ordinis decorem, & ad ipsius B. Francisci gloriam factas, tot etiam Bullas Pontificias, & sacræ Congregationis declarationes, ne fuerint subreptitiæ, diligentiùs expensas? arguantur privati homines cujusdam negligentiæ & incuriæ; at celebres illi Conventus singulis trienniis, sive ex integris Provinciis, sive ex toto ordine celebrati, ab hac nota prorsus immunes esse debent.

At, inquit, visum est inutile ac superfluum, imo importunum, vulgatâ jam Bullâ correctionem meditari. Ergo tunc inutile erat, nunc utilissimum: tunc importunum, nunc opportunum. Quin potiùs, tunc summè utile & opportunum fuisset, cum ea, quam adversarius vocat, novitas nondum ab aliquo in remotis ab urbe regionibus, ut ait, excepta fuerat. Nunc verò summè importunum, nec minùs ut spero superfluum, cum eadem, non dico, novitas, sed ab

initio agnita & tradita veritas, in innumeris libris, chartisque descripta, in omnium etiam mente & ore versatur. Sed etsi tunc inutile fuisset, id certè animos veritatis amatores compescere, eorumque ora claudere nullatenus potuisset. Veritas quippe omnino libera est, nullâque vi, nullis vinculis, nullis vanis rationibus astringi se patitur.

Itaque firmissimè teneamus Ætatem Sancti in Bulla Pontificia assertam & definitam, nec ab aliquo hactenus erroris insimulatam, primam esse & antiquam Ordinis traditionem. Ac proinde Sanctum & an. circiter 1416. Natum esse, & anno 91. aut circiter, expleto mortalem vitam exuisse.

CAPUT IV.

Tertia sententiæ nostræ probatio ex Martyrologio an. 1540. edito deprompta.

MARTYROLOGII usus adeò non recens est, ut ad Eusebii Cesariensis tempora, quartum utique æræ Christianæ sæculum, omnium consensu sit referendus. Huic deinceps insudarunt & D. Hieronymus Ecclesiæ Doctor, & ven. Beda Benedictini Ordinis Professor, & quidam Florus, Lugdunensis Ecclesiæ

pietate & doctrina insignis Diaconus. Horum vestigiis inhærens Usuardus sancti Germani à pratis prope Parisios Religiosissimus Monachus, locupletius & magis absolutum Martyrologium tempore Caroli Magni aut Calvi edidit, quod tantam obtinuit autoritatem ut in plerisque Ecclesiis tum Monasticis, tum Collegiatis, tum etiam Episcopalibus saltem Cis-alpinis unum illud per septem sequentia sæcula lectum fuerit.

Viguit iisdem temporibus Martyrologium Romanum, non illud Brevissimum, veteris nomine communiter appellatum, de quo S. Gregorius lib. 7. Epist. 29. mentionem facit, & in quo, ut ait, non quali modo Martyr esset passus, sed tantum illius nomen & qui locus & dies passionis fuisset, indicabatur; sed aliud amplius & plenius, quod Eminentissimus Cardinalis Baronius sub fine præteriti sæculi correxit, perfecit ac notis illustravit. Et quidem idem Baronius censet istud Martyrologium fuisse ab Usuardino omnino diversum, traditque suo tempore reperta esse Romæ quam plurima ipsius exemplaria antiquiori manu exarata. At è contra doctissimus Molanus tractatu de Martyrologiis c. 4. & eo non minus Perspicax Joannes Bollandus in præfatione generali immensi sui operis, cap.

etiam 4. §. 5. volunt illud esse ipsum met Martyrologium Usuardinum, quod ab Ecclesia Romana adoptatum, auctum, aliisque Ecclesiis traditum, Romani nomen & honorem obtinuerit.

Quidquid sit, certum est in nostro Ordine cui ipsius Romanæ Ecclesiæ ritus à sanctissimo Institutore summo studio commendatus est, ac etiam in regula præceptus, hoc ce Martyrologium Romanum *ad primam* semper & ab initio fuisse adhibitum. Ex quo factum est ut Religiosi Nigeonenses, quod est celebre & Regium prope Parisios ejusdem nostri Ordinis Cœnobium, novam illius typis propriis editionem, anno 1540. sint aggressi. Cùm verò nondum Ecclesiasticis Prælatis præceptum esset, ut si quos haberent sanctos in suis locis aut Ecclesiis celebrari solitos, eos in librum Martyrologii ne insererent, sed separatim descriptos, suo interim loco nominandos servarent, quod à Gregorio XIII. an. 1585. post ipsam correctionem prudentissimè sancitum est; curarunt illi, Beatissimi parentis memoriam ad secundam Aprilis recitandam, suæ illi editioni inferri, in qua ipsius vita, mors, Ætas, & incorruptio, breviter quidem, sed luculenter describuntur: quod certè à tempore Canonizationis, quæ tunc adhuc recentior erat, nondum

in editis, ullo in loco, factum fuerat.

Neque verò quisquam miretur propriam Nigeoni fuisse Typographiam : si enim in antiquis Monasteriis, ut norunt omnes, tanta erat librorum describendorum cura & sollicitudo; (quo factum est, ut veterum scriptorum tractatus aliàs interituri feliciter ad nos pervenerint,) quid mirum quòd eo tempore quo rari adhuc præ hoc tempore inveniebantur Chalcographi, primores dicti Conventus proprios typos cudi fecerint, quibus & sibi, & aliis per Galliam cænobiis de libris saltem Ecclesiasticis providerent. Huic porro operi præfuisse legimus Reverendum Patrem Hugonem de Varenna, virum multis nominibus commendatum, qui in ea arte, quam ne doctissimi quidem dedecere se putabant, ut de Stephanis, aliisque liquet : peritissimus erat, & jam antea, videlicet an. 1535. Regulas Ordinis, cum Correctorio & Ceremoniis, ac ejusdem privilegia, cum Bullâ Canonizationis, de quâ superiùs, optimo prælo mandaverat: sed de hoc obiter tantum.

Quod ad nostrum institutum spectat istud est, ex præfato Martyrologio posse liquidò constare quid de sancti Francisci de Paula Ætate sit statuendum. Etenim cùm illi religiosi qui tunc Nigeonem incolebant, anno inquam, 1540. homines essent do-

ctrinâ, pietate ac etiam venerandâ canitie præfulgentes, quorum nonnulli omnibus Religionis muneribus, & unus, Joannes sc. Sutoris, ipso Generalatu dignissimè defuncti erant, ac Beatissimo Parenti non pauco tempore fuerant coætanei, ut apparet ex ipsis ejus anni codicibus qui in thesauro chartarum dicti Conventus diligentissimè asservantur: obvium est ut credamus eos nec ipsius Ætatem ignorare potuisse; nec id sceleris fuisse commissuros, ut compertum sibi de illa errorem, ac purum putumque mendacium in Martyrologium publicè pro choro legendum, inferre vellent, inferrive paterentur: maximè cum nihil eos cogeret ea de re in Martyrologio loqui, ubi nihil simile legitur ad aliorum sanctorum memoriam; & aliunde si errori agnito faverent, cæterorum Provinciæ, Ordinisque fratrum censuram meritò deberent formidare. Ex quibus fit omnino rationi consentaneum esse ut prædicti Martyrologii testimonio circa Sancti Ætatem deferatur, & integra fides adhibeatur.

His ita se habentibus, restat audire & attendere quid habeat istud Martyrologium. En ejus verba, etiam à nostro Hilarione Costæo in vitæ sanctissimi Patriarchæ probationibus, pag. 419. fideliter relata.

Pro Festo B. P. N. quarto nonas Aprilis

in Galliis civitate Turonensi, depositio S. Francisci de Paula, qui dux & institutor Ordinis Fratrum Minimorum fuit, regulamque sub vita quadragesimali instituit, & à sede Apostolica approbari & confirmari obtinuit. Ille ab adolescentia usque ad NONAGESIMUM PRIMUM SUÆ ÆTATIS ANNUM, *sub incredibili austeritate perseveravit, multos Conventus sui Ordinis construxit, tandem à bonæ memoriæ Sixto IV. ad supplicationem Ludovici XI. Regis Francorum Christianissimi, de Calabria in Franciam destinatus est. Virtutibus & miraculis inenarrabilibus claruit. Tempus mortis suæ fratribus prædixit, ac per undecim dies in Ecclesia corpus ipsius post mortem, sine aliqua corruptione, inhumatum permansit.* Certe nihil clarius esse potest ad eam quam hic versamus quæstionem. Vides verba Martyrologii diserte asserere, B. Franciscum de Paula ad nonagesimum, usque Ætatis annum supervixisse. Ergo verè & indubitanter ita fuit, & ita à nobis firmissimè tenendum est.

Non vidit hoc argumentum doctissimus Papebrochius: inde nec ei satisfacere conatus est.

Diceret forte primò, Elogium illud Martyrologio Romano additum, non esse authenticum, ullius-ve autoritatis, utpote quod non Ecclesiæ, sed sola Ordinis, aut

Provinciæ facultate sit editum. Verùm non agitur hic, an Elogium illud sit authenticum, aliquâve Ecclesiasticâ autoritate polleat, sed an veritatem Historicè referat, quod quidem ipsum præstare, ex discursu Superiùs deducto luce clariùs apparet, ut arbitror.

Diceret secundò, idem Elogium ex Bulla Canonizationis esse desumptum, sicque non mirum si in eumdem cum illa, errorem impingat. Sed 1. fons ille purissimus est, ut supra demonstravimus. 2. Negari posset inde desumptum: cùm ad id fundandum publica fama, & traditio abundè sufficeret. 3. Undequaque desumptum sit; certè si patres Nigeonenses illud putassent erroneum, nunquam in suum Martyrologium novis & propriis typis editum intulissent, aut passi essent inferri: id enim eorum fidei, pietati, ac religioni concedendum est. Ergo non putarunt erroneum; ergo nec contrarium senserant ante Canonizationem, quo tempore jam florebant, quin & nonnulli primariis religionis muneribus fungebantur. Nam si tunc contrarium sensissent, postmodùm errorem Bullæ; suique pariter Martyrologii facilè animadvertissent. Ergo falsum est, quod ait Papebrochius, nullam fuisse ante Canonizationem de tam diuturna Sancti Ætate,

traditionem: quin imo jam apud nostros Nigeonenses ea Uigebat traditio, quam suo deinde Martyrologio expresserunt. Ergo traditio illa prima est omnium, & antiquissima. Ergo prorsus vera est: nec textus Bullæ, aut Martyrologii dici, censeri-ve potest erroneus. Quid, amabo, clarius? quid efficacius?

Diceret 3. forsitan editores Martyrologii ante Canonizationem de Sancti Ætate dubios fuisse, & ita Canonizationis Bullâ publicatâ & receptâ, facilè in illius errorem abreptos esse. Sed quis credat religiosos qui suo Patri & Fundatori convixerant, & eo mortuo per duodecim annos illius vitam & acta nocturna diurnaque manu versaverant, atque etiam coram principibus & populis sæpius exposuerant & prædicaverant, ejusdem Ætatem ignorasse, nec satis compertam habuisse; certe id ita ratione dissentaneum judico, ut ampliori refutatione non putem indigere. Itaque undequaque patet ratum firmumque manere, quod patres nostri suo inseruerunt Martyrologio, sanctissimum Patriarcham ab adolescentia ad nonagesimum primum usque Ætatis annum, in summa vitæ austeritate perseverasse.

CAPUT V.

Quarta sententiæ nostræ probatio ex lectionibus Breviarii Romani deducta.

DIu tulere gravissimè homines Spiritu Sancto pleni, & zelum Dei habentes, invectas esse in officia Ecclesiastica sanctorum Historias Apocryphas; aut legitimas de illorum vita lectiones erroribus & mendis esse deformatas. Huic malo mederi disponebat Paulus Papa IV. vir Sanctus, & pro Ecclesiæ decore nullis parcens laboribus; sed eo, re infertâ, ad meliora evocato, Concilium subinde Tridentinum necessarium illud negotium seriò promoveri voluit. Id ergo præstare Romani Pontifices, Pius V. Clemens VIII. & Urbanus item VIII. quos inter, Clemens VIII. in Bulla quæ incipit, *cùm in Ecclesia Catholica*, testatur in communi, ea quæ recognitione & emendatione indigebant, exactè recognita esse; & emendata. Urbanus autem VIII. in Bulla quæ incipit, *Divinam Psalmodiam*, in particulari profitetur sanctorum Historias ex priscis & probatis autoribus iterum esse recognitas. Hic nempe est præsens Breviarii Romani status, in quod impressionis mira peritia non permittit tot

menda jam irrepere, quot ante Typographiam, vel nascente adhuc Typographiâ, dolemus irrepsisse.

Inde mihi planum videtur, nec quemquam repugnaturum puto, lectiones de sanctis Breviario Romano appositas, præcipua fide & veneratione ab omnibus esse suscipiendas, non quod existimem eas in rebus Historicis & Chronologicis indubitatam & infallibilem habere veritatem: quippe scitum est in eis componendis & approbandis humano tantùm modo, qui semper errori obnoxius est, agi & actum fuisse, sed quòd propter summam examinatorum peritiam & diligentiam, & propter Ecclesiæ proponentis reverentiam, præsertim ubi agitur de Sanctis recentiorum sæculorum, maximam mereantur autoritatem.

Tales igitur sunt lectiones de sancto Francisco de Paula, ab omnibus qui Breviario Romano tenentur, recitari præceptæ: quæ quidem primùm à Sixto V. summo Pontifice, qui Sancti solemne an. 1585. ei Breviario inseruit, sunt approbatæ; postmodùm verò à tribus supradictis Pontificibus, in breviorem interim formam redactæ, vario tempore sunt confirmatæ.

Quæ cum ita sint, audiamus quid eæ lectiones de Sancti Ætate nos doceant, & publicè in Ecclesiis proponant. En ipsa il-

larum verba, ad ſecundam Aprilis relata. *Denique annum primum & nonageſimum agens, Turonis migravit ad Dominum an. ſalutis* 1507. Id omnes Clerici Breviario Romano adſtricti, id ipſi Henſchenius & Papebrochius ſingulis annis *ad matutinum* recitant. Id etiam ubique terrarum in choris è pulpito legitur, atque inter Canonicos & Monachos Romani ritus ſequaces, alioſve, diſtinctè pronuntiatur, & quod maximè notandum eſt, cùm à tot annis id fiat, nemo adhuc eo in computo errorem advertit, nemo reclamavit, nemo de illo dubitare ſe, vel obiter ſignificavit? an non hoc eſt efficaciſſimum pluſquam nonagenariæ Ætatis quam aſſerimus, argumentum?

At error eſt, inquit Papebrochius, è Bulla Canonizationis in Lectiones officii diffuſus & propagatus. Verùm jam oſtendimus fontem illum eſſe puriſſimum, neque ex eo quidquam erroris in Officium Eccleſiaſticum dimanare potuiſſe. Addimus nunc, examinatorum & cenſorum Breviarii calculum non parum ei roboris adjicere, quandoquidem ſi quid in illo erratum eſſet, id illi conſultis actis quæ etiam nunc Romæ ſervantur, corrigere debuiſſent: niſi fortè dicas, eos nullâ hujuſce erroris ſuſpicione, vel minimâ, tactos eſſe: quod non parvum, ut reor, præjudicium eſſet, illum eò uſque

prorſus incognitum, & ſubinde omnino fictitium eſſe.

Favet etiam non minimum mirabilis ille omnium Clericorum Breviarium recitantium conſenſus: aut ſi mavis, ſilentium. Cùm enim inter eos innumeri ſint fuerintque doctiſſimi, & in hiſtoria ac Chronologia exercitatiſſimi, quin etiam criticæ temporum & ordinum addictiſſimi, difficile creditu eſt, nullum à ſæculo reperiendum, qui, ſi error iis in lectionibus eſſet, aliquando non advertiſſet, & ſaltem dubitantis inſtar, non propoſuiſſet. Latebant, inquiet Papebrochius, acta unde deprehenderetur at certè plura non latebant ex quibus ipſe ſuam ſententiam confirmare niſus eſt, ut conſideranti patebit.

Denique ut adverſarius hanc è lectionibus, & ex aliis monimentis Superiùs allatis, probationem infirmare poſſit, debet producere argumenta & teſtimonia tantæ autoritati præponderantia: quod ab eo nec factum, nec etiam faciendum ex objectionum ſolutione luce clariùs apparebit. Stet ergo iterum, iterumque inconcuſſum, ſanctiſſimum Patriarcham pluſquam NONAGENARIUM obiiſſe.

CAPUT VI.

Quinta ſententiæ noſtræ probatio, ex vitæ B. Patris Franciſci de Paula, à quodam ejus Diſcipulo ipſimet coævo conſcriptæ, teſtimonio repetita.

HUjus diſcipuli teſtimonio eò lubentiùs utar, quò doctiſſimus adverſarius pluris eum æſtimat, & ampliorem ei fidem adhibendam eſſe profitetur. Agnoſcit quidem in ejus hiſtoria, cum noſtris Victonio, Lanovio, Coſtæo, & aliis nævos quoſdam & errores, circa ea quæ ſpectant ad ſereniſſimæ domus Regum Neapolitanorum everſionem & ruinam, ſed nihil hinc detrahi putat in his quæ ſanctiſſimum Patriarcham attinent, ipſius fidei & autoritati. *Quid enim mirum*, inquit, *ſi homo abſtractus à ſæculo, & in aliquo Picardiæ Campaniæve*, (melius dixiſſet, Turoniæ, ut ſtatim indicabimus) *conventu, vitam agens eremiticam, & tot annis à Calabria abſens, non uſquequaque accuratam hiſtoriam ſit aſſecutus earum tragædiarum quibus jactata eſt Regum Neapolitanorum familia? an propterea minùs credetur ei in iis quæ vel viſu cognovit proprio, vel eorum qui viderant, ipſi relatu.* Simile quid fecit Victonius in præfatione ad

vitam Beatissimi Patris Latinè à se conscriptam.

Quisnam verò fuerit ille discipulus, quove appellaretur nomine, altum apud nostros silentium; quamquam idem Victonius Validissimis se conjecturis id assecutum esse testetur. Interim ex ipso quem scripsit vitæ libello multa colligere est, quæ ad ipsius fidem augendam faciunt non minimùm.

Primo enim ex cap. 3. apparet, eum in Conventu Paulano à Sancto habitum sui Ordinis postulasse, & post aliquam temporis moram suscepisse: & cùm jam Religiosus esset, & ut arbitror professus, annis nihilominus plusquàm viginti antequam ille in Gallias migraret, hoc est circa an. 1460. sæpius ex ejus ore, una cum aliis fratribus audisse, aliquando eos in regionem remotissimam esse transituros, ubi nec incolarum linguam ipsi intelligerent, nec sua ab indigenis intelligeretur ex quo manifestum est eum non minùs quàm viginti annis in Calabria sub Sancti disciplina vixisse.

2. Ex cap. 5. & 6. liquet eum in Galliam venisse & aliquando Turonibus constitisse. Nam c. 5. loquens de miraculo fontis à Beatissimo Patre in Delphinatu excitati, testatur se id accepisse à quodam Auri-fabro Gratianopoli habitante, & ibid.

agens de brevibus à summo Pontifice datis ut ille in Galliam se transferret, ait, *& ipse horum Pontificiorum brevium unum vidi in Conventu Turonensi*, & cap. 6. referens promissionem prolis ab eodem Sancto Ducissæ Borbonii, Turonibus certè, aut prope Turones factam; addit, *cúmque nos diceremus bono Patri ista non scribi absque periculo creandi scandalum adversus totum Ordinem, si secus accideret* : respondit, *Sinamus Deum agere quod sibi placuerit.* Et hinc infero si quod ei discipulo in re incerta assignandum est domicilium, potiùs in Turonia quàm in Picardia, vel Campania fore assignandum. Interim non fuit ipse unus ex sociis Sancti dum è Calabria migravit in Galliam : neque enim loquitur de rebus eo in itinere gestis, tanquam qui viderit, sed solùm tanquam qui illas ab aliis referentibus & testantibus acceperit. Itaque ab optimo Magistro Cæsaroduni jam commorante, ad se vocatus esse censendus est.

3. Ex eodem cap. 5. constat eum in Gallia, quò fuerat Advocatus, libellum suum composuisse : cùm enim citat testes oculatos in Gallia residentes, à quibus miraculum aliquod didicit, de iis loquitur ut præsentibus, & rem de proximo referentibus : ut facile legentibus apparebit. Adde illum Gallicè scripsisse, quod nunquam fecisset

homo

homo Italus, aut in Italia tamdiu commoratus, nisi pro Gallis in ipsa Gallia scripsisset.

4. Ex cap. 6. in fine fit evidens, eum vix ante annum 1502. qui fuit quintus ante obitum Sancti scribere potuisse : cùm eo loco loquatur de liberatione Cardinalis Ascanii Sforzæ & turre Bituricensi, in qua jussu regis inclusus fuerat, quæ non contigit nisi an. 1501. an verò scripserit eo met anno 1502. an alio ex sequentibus, vix quantùm arbitror ex ejus libro colligi potest : nam cùm innumera omittat, quæ dicturus fuisse videretur : atque etiam opus illud suum non perfecerit, sed omnino mutilum reliquerit : cujus ratio penitus ignoratur ; ex omissione eorum quæ aliquo anno contigerint, non statim inferendum est eum ante illum annum scripsisse. Unum est quo videri posset eum scriptionis annum 1502. distinctiùs indigitasse : nempe quòd loquens de prima Ordinis Regula ab Alexandro VI. an. 1492. approbata, dicat, eam suo tempore adhuc vigere: cùm tamen certum sit illam hoc ipso anno 1502. vim omnem perdidisse, promulgatis secundâ & tertiâ Regulis quarum prior Calendis Maii superioris anni ; posterior decima octava ejusdem mensis hujusce, de quo loquimur, anni, approbatæ fuerant & confirmatæ.

Hoc tamen argumentum, ut puto, non urget. Poteſt enim dici autorem illum non intendere eam regulam adhuc vigere quantùm ad formam : ſed ſolùm quantùm ad obſervationem vitæ quadrageſimalis, quæ ſemel ab Alexandro VI. approbata, deinceps in Ordine & in aliis regulis inviolabilis permanſit.

Quin & duo ſunt ex quibus nonnullus inferat libellum vitæ poſt obitum Sancti ſaltem ex aliqua parte fuiſſe compoſitum. Unum eſt, quòd à cap. tertio de illo loquitur in tempore imperfecto, ut cum ait, *Erat corpore ſatis pleno & robuſtæ naturæ. Vanam gloriam & hypocriſim præ omnibus vitiis fugiebat. Sanctiſſimo altaris Sacramento afficiebatur quàm tenerrimè, &c.* Quo loquendi modo non ſolemus uti, niſi cum de mortuis agimus. Alterum eſt, quòd eodem cap. eumdem appellat Sanctum, cùm priùs non niſi bonum patrem appellaſſet : quod certe epithetum homini ſuperſtiti, & adhuc de ſalute periclitanti numquam daturus videretur.

Non deſunt quidem ad iſta reſponſiones : ut quod tunc in lingua vulgari, & ſatis Barbara quâ libellus iſte ſcriptus eſt, tempus imperfectum ad viventium & mortuorum acta referenda promiſcuè adhiberetur : & quòd epithetum Sancti poſt Canonizatio-

nem ab aliquo exſcriptore potuerit eſſe ſuperadditum. Sed cùm de his ut nullâ autoritate ſubnixis, meritò dubitari queat; non ſine cauſa dicimus nihil certi ſtatui poſſe de anno quo diſcipulus ille coævus ſuam hiſtoriam compoſuit. Id unum neceſſariò annotamus, hujus hiſtoriæ concluſionem ſeu Epilogum certiſſimè non eſſe ſcriptum niſi poſt obitum Sancti, ut qui de miraculis ad ejus ſepulchrum paſſim fieri ſolitis mentionem faciat. Appendicem verò in qua liber ipſe coram ſummo Pontifice productus eſſe dicitur, non eſſe additam niſi poſt ipſius Canonizationem.

Sed ne his diutius immoremur; ſufficiat quòd is autor de quo agimus non ſolùm eidem Sancto fuerit coætaneus, ſed pluribus etiam annis in Italia & Francia cum eo vixerit, habitaverit, & familiariter ut dilectus diſcipulus cum optimo magiſtro ſit converſatus. Sufficiat quòd ab ipſomet adverſario qui ejus libellum latinè vertit & edidit, magnæ fidei & autoritatis prædicetur, taliſque qui noſtræ controverſiæ arbiter & judex meritò ſtatui poſſit. Hunc & ego teſtem appello, hunc arbitrum nomino, hunc judicem decerno, ſedeat inter nos, & quid de anno Sancti Natali, quid de ejus dum obiret, Ætate tenendum ſit, ſummâ, & à qua provocare nefas ſit, ſententiâ de-

cidat. Legatur liber, audiatur, idque ſecundùm adverſarii ipſius verſionem, neque enim originem Gallicam, aliquodve illius manuſcriptum hactenus reperire potuimus.

Sic ergo præmiſsâ brevi præfatione, caput primum, totaque proinde hiſtoria incipit. Fuit in Italia quidam venerabilis Pater Franciſcus de Paula nuncupatus, natuſque anno gratiæ milleſimo quadringenteſimo . . . . vel circiter, in oppido Paulâ, ſito in Provincia Calabriæ. Vides hiatum & omiſſionem, ubi maximè intererat ne quid mendi reperiretur, imò & illius voculæ quæ ſtatim totum difficultatis nodum diſſoluere poterat. Sed nihil, ut arbitror, cauſæ noſtræ nocebit hic hiatus. Contendo ſiquidem, ac me ſpero evidenter demonſtraturum autorem ſcripſiſſe anno gratiæ M. quadringenteſimo decimo ſexto, vel circiter, & ita loco vacuo ſupplendum : non, ut vult adverſarius, atque inter uncinos in ipſo textu ſupplevit, quadringenteſimo trigeſiſimo ſeptimo.

Probo primò, quia eo modo autor ille ſcripſit, quo illum Romæ legerunt & doctiſſimus Simoneta qui de vita & miraculis Sancti coram Leone X. peroravit, & eruditiſſimus Sadoletus qui, ut creditur, Bullam Canonizationis ejus compoſuit, &

Cardinales, atque Advocati Consistoriales, qui illud ipsum Canonizationis negotium tantâ diligentiâ, & tam acri studio promoverunt. Atqui ii omnes legerunt, anno gratiæ 1416. vel circiter, non autem anno gratiæ 1437. ergo autor scripsit priori modo, non posteriori. Major constat, quis enim putet jam tum libellum fuisse mendosum, deletum, corruptum, hiantem: tam paucis scilicet post scriptionem annis: & cùm vel autor adhuc viveret, vel ejus authographum, aut primum ex eo transumptum adhuc extaret. Id certè incredibile: ergo tunc libellus non erat mendosus: & proinde necesse est autorem eo modo scripsisse, quo tunc legebatur.

Minor duo importat, primum est præstantissimos illos viros, negotii Canonizationis Promotores libellum illum de quo agitur vidisse & legisse. Alterum est illos in ipso, non eum qui ab adversario, sed eum qui à nobis assignatur, numerum deprehendisse. Et primum quidem vix potest revocari in dubium. Nam ex ipsa libelli appendice constat eum, ut qui de vita, fama, & miraculis Servi Dei loqueretur, coram sanctissimo Patre, Leone Papa hujus nominis decimo fuisse productum: quî autem fieri posset, ut vita Canonizandi Pontifici porrecta, ipsos Canonizationis judi-

Digitized by Google

ces, Advocatos, Oratores, & Secretarios quos uno nomine Promotores diximus, latuisset. Certè nihil ejusmodi ad Pontificem defertur, quod non sollicito ac diuturno examine fuerit ponderatum: Si ergo libellus ad Pontificem delatus est, sequitur eum & Cardinalibus, & curiæ Romanæ Officialibus priùs innotuisse. Secundum etiam, nempe quòd in eo deprehenderint numerum qui à nobis, non qui ab adversario assignatur, facilè ostenditur. Quippe certum est eos computo nostro unanimiter & indubitanter adhæsisse, & de computo adversarii nequaquam esse locutos: cùm Sanctus ubique apud illos dicatur ad nonagesimum primum Ætatis annum pervenisse. Si autem in ejus vita, è Galliis allata, ab ipso illius discipulo conscripta, & summo Pontifici oblata vidissent, eum non anno 1416. ut dicimus; Sed anno 1437. natum esse, proindeque non annos 91. Sed solum 70. vixisse, nunquam tam securè, tam firmiter, tam incunctanter contrarium asseverassent, indicassent saltem rem esse sub dubio, difficultate non carere; aliquos in oppositam abire sententiam; sibi, non omnibus ita videri. Ergo necesse est illos in ejusmodi vita nihil tale vidisse & legisse, sed è contra Sanctum anno millesimo quadringentesimo decimo sexto in lucem editum. Ergo etiam

autor ita ſcripſit, & ita à nobis legendus eſt. Invictum profectò argumentum.

Probo ſecundò, quia eo modo autor ille ſcripſit, quo illum legit qui ejus libello appendicem attexuit? atqui is legit, anno gratiæ 1416. non autem anno gratiæ 1437. ergo autor priorem annum deſignavit, non verò poſteriorem. Major oſtenditur, quia quidquid in contrarium ſentiat adverſarius, certiſſimè tenendum eſt appendicem illam eſſe antiquiſſimam, & ad tempora Canonizationi vicina referendam: aliter enim illius ſcriptor neſcire potuiſſet libellum vitæ coram Leone X. ſummo Pontifice productum fuiſſe: cùm id nullis litterarum monumentis alibi legatur conſignatum. At nullo modo probabile eſt iis temporibus prædictum libellum adhuc recentem, quique, ut ait appendix, omnes videntes & legentes agebat in ſtuporem, jam fuiſſe corruptum & depravatum: ergo ſanus erat & integer, quando appendix adjecta eſt. Ergo autor eo modo ſcripſit, quo ab illo lectus eſt qui appendicem ipſam attexuit.

Minor non minùs validè demonſtratur, quia niſi ſcriptor appendicis legiſſet anno gratiæ 1416. vel circiter, nunquam potuiſſet aſſerere Sanctum obiiſſe nonogenarium: cùm enim ſciret eum mortuum an. 1507.

Digitized by Google

ut nonagenarium faceret debuit ſupponere eum natum circa annum 1416. Atqui diſtinctè aſſeruit eum obiiſſe nonagenarium, *annos*, inquit, *nonaginta ſic egit in pænitentia, ut in melius ſemper, atque de virtute in virtutem indeſinenter proficiens, perſeveraverit in omni devotione, & ſtudio Sanctæ religionis*. Ergo non legit apud autorem eum natum anno gratiæ 1437. ut vult Papebrochius, ſed eum natum anno gratiæ 1416. vel circiter: niſi dicas eum ſuo autori contradicere voluiſſe: quod credere nefas eſt, eo præſertim tacente, & hanc contradictionem nullatenus excuſante. Ergo etiam autor ita ſcripſit, & ita illum legere & ſupplere debemus. Et hic eſt gladius anceps, & utrinque acutus, duplici rictu feriens adverſarium; cum ex una parte habeamus Ætatem Sancti à nobis aſſertam & definitam; ex alia verò parte, annum ejus Natalem huc uſque deſignatum.

Probo tertiò, quia eo modo autor ille ſcripſit, quo à ſenioribus noſtris, primiſque Ordinis patribus & ſcriptoribus lectus eſt. Atqui ii omnes legerunt anno gratiæ 1416. vel circiter, non autem an. gratiæ 1437. ergo autor ita ſcripſit, nec aliter à nobis, aut à quoquam alio legendus eſt. Major inde patet, quòd penitus incredibile ſit eum autorem nunquam apparuiſſe, nun-

quam visum, lectumque fuisse, nisi mendosum, corruptum, & hiantem: præsertim cum ante alias vitas à Gaspare Passarello, à Davide Romæo, & à Paulo Regio Episcopo Vicensi conscriptus, communior ac celebrior saltem in Gallia fuisse videatur: quod etiam ex verbis appendicis jam superiùs indicatis colligi potest, dum videlicet ait, *miracula Servi Dei qualia hic continentur, convincunt eum raræ devotionis dono excelluisse, ad stuporem omnium qui hunc libellum viderunt & legerunt.*

Minor declaratur, quia si Seniores nostri, primique Ordinis patres & scriptores in eo autore legissent Sanctum an. 1437. natum esse, & ita non annos nonaginta, sed solùm septuaginta vixisse, nunquam tanto consensu, à quo ne unum quidem unquam discessisse legimus, in contrariam abiissent sententiam; cùm obvium esset, ut aliqui autoris calculo seu computo deferrent & adhærerent. Saltem alicubi hanc opinionum diversitatem annotassent, saltem aliquam hujusce opinionis memoriam, aliquod vestigium, umbramve reliquissent: cùm ergo nihil tale in ullo prorsus autore legi possit: certumque sit seniores nostros in eo semper consensisse, quòd Sanctissimus Patriarcha & an. circiter 1416. natus sit, & ad nonagesimum primum Ætatis annum

Digitized by Google

pervenerit ; neceſſariò concludendum eſt eos idipſum, non aliud, in autore libelli vidiſſe ac legiſſe, & conſequenter eo, non alio modo ſupplendum, ac legendum eſſe.

Quod ſi ita eſt, cùm ex ipſo adverſarii conſenſu ac judicio, illi autori tanquam legitimo controverſiæ noſtræ arbitro deferendum ſit, ejuſque ſententiæ ut omnino ſecuræ ac indubitatæ adhærendum: Quid ex omnibus argumentis ſtatim propoſitis colligendum, niſi litem eſſe finitam, Papebrochium causâ penitus excidiſſe, & circa Ætatem, annumque Natalem Sancti P. Franciſci de Paula ab antiqua, communi, & univerſali ſententia nullatenus eſſe diſcedendum.

Dicet forte adverſarius primò, nos ubique ſupponere autorem illum, annum Sancti Natalem in authographo determinaſſe: forſan autem non ita factum ; ſed cum ea de re incertus eſſet ac dubius, locum vacuum & hiantem qualis nunc cernitur, reliquiſſe. Verùm id legitimè & omnino rationabiliter ſupponimus, ut etiam adverſarius ipſe ſuppoſuit, dum ex ſuis conjecturis hiatum numero anni 37. implevit. Nam ſi autor nullum annum determinaſſet ; ſed ut incertus ac dubius, illius locum vacuum & hiantem reliquiſſet ; nunquam addidiſſet, *vel circiter*, quod eſt adverbium

numerum determinatum ſupponens & dilatans. Cum ergo certum ſit autorem ſcripſiſſe, *vel circiter*, nemini dubium eſſe debet, quin annum Sancti Natalem expreſſerit & determinaverit, ita ut hiatus ex ſola manuſcriptorum litura, aut ex ſcriptorum culpa provenerit.

Dicet forte ſecundò, determinavit quidem ille annum nempe 1437. ſed cum is Ætati per Bullam Canonizationis evulgatæ non bene conveniret, ac cum ea nullo modo conciliari poſſet, eo forſitan tempore à novis exemplaribus expunctus eſt, & ejus locus vacuus ac cum hiatu relictus. Sed primò id omnino gratis & ſine fundamento dicitur, ſeu veriùs fingitur: longéque probabilius eſt, hiatum inde proveniſſe, quòd cùm exemplar unde manuſſcriptum noſtrum Bruxellenſe tranſcriptum eſt, operculis ligneis voluminum S. Hieronymi eſſe incluſum, (quod idem manuſcriptum teſtatur), locus ille à tineis ſeu vermiculis, ut frequentiùs accidit, corroſus fuerit atque perforatus. Maximè cum vocula Gallica *Seize* tam exiguum ſpatium obtineat, ut facilè hoc modo deleri poſſit. 2. Quamvis annus ab autore determinatus & ſcriptus potuiſſet ex aliquo exemplari expungi, puta ex exemplari Romæ oblato, quod Latinè verſum eſſe Pa-

Digitized by Google

pebrochius suspicatur, pag. 104. Quis tamen putet ex omnibus, idque in Gallia, nemine refragante; nemine dissentiente, nemine contra tantum plagium protestante? cùm è contra si commune fuisset apud Gallos Sanctum non esse natum nisi anno 1437. idque in vita à discipulo coævo conscripta legissent, debuissent hoc veræ Chronologiæ monimentum contra novitatem à Bulla Canonizationis introductam, pretiosissimè conservare: imo & ex illo ipsam Bullam erroris arguere. Certè id penitus incredibile ac rationi dissentaneum est. Ergo nihil simile factum est, & omnino credendum, eum qui ab autore scriptus fuit, numerum, & scriptori appendicis, & nostris senioribus apparuisse: sicque non fuisse alium, quàm quem ab iis legimus notatum & usurpatum. Denique etsi his omnibus figmentis ac portentis deferremus, adhuc staret invictum, intactumque primum ex nostris argumentis, quo ex determinatione Ætatis Sancti per actores Canonizationis facta, intulimus autorem libelli qui ab eis visus, lectus & examinatus est, non aliud scripsisse quam eumdem Sanctum anno gratiæ 1416. vel circiter, natum esse. Stet ergo iterum utraque illa veritas, nempe ita scriptum & ita factum.

Digitized by Google

CAPUT VII.

Sexta ſententiæ noſtræ probatio ex unanimini omnium ſcriptorum, totiuſque Ordinis ſenſu & traditione deprompta.

SAPIENTISSIME à Vincentio Lerinenſi, eximiæ doctrinæ & ſanctitatis Preſbytero, ſcriptum eſt, in priori commonitorio, cap. 3. id in Eccleſia Catholica tenendum, quod ſemper, quod ubique, quod ab omnibus eſt creditum: ſeu ut ipſe ſubdit, ſequendam eſſe antiquitatem, univerſitatem, & conſenſionem. Quod quidem in toto celeberrimi operis decurſu variis illuſtrat, communitque rationibus & exemplis. Unde etiam cap. 19. ſcriptorem Eccleſiaſticum verbis divi Pauli ad Timotheum, alloquens, ait; *Depoſitum cuſtodi. Quid eſt depoſitum? id eſt, quod tibi creditum, non quod à te inventum: quod accepiſti, non quod excogitaſti: rem non ingenii, ſed doctrinæ: non uſurpationis privatæ, ſed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam: in qua non autor debes eſſe, ſed cuſtos: non inſtitutor, ſed ſectator.* Et cap. 39. explicans quâ ratione veteribus ſcriptoribus ſit deferendum. *Ipſis*, inquit, *antiquis & Sanctis Patribus hac*

lege credendum est, ut quidquid vel omnes, vel plures uno eodemque sensu, manifestè, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum Concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur: quidquid verò quamvis ille sanctus & doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor & Martyr, præter omnes, aut contra omnes senserit, id inter proprias, occultas, & privatas opiniunculas, à communis, publicæ, ac generalis sententiæ autoritate secretum sit. Nec cum summo æternæ-salutis periculo, juxta sacrilegam hæreticorum & schismaticorum consuetudinem, universalis dogmatis antiquâ veritate dimissâ, unius hominis novitium sectemur errorem. Atque hæc doctissimi viri monita tanto applausu à sanctis fidei propugnatoribus excepta sunt, ut liber ille pretiosissimus, & tanquam invictum contra profanas hæreticorum novitates antidotum habeatur.

Quod verò ille dixit in causa fidei & religionis, idem nos servatâ tamen proportione dicere possumus in materia historiæ & Chronologiæ: fugiendam, nempe, quantùm fieri potest, novitatem & singularitatem, idque firmiter & inconcussè tenendum, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus & scriptum & creditum

eſt. Et ſanè quamvis in hac materia non ſit idem fidei & ſalutis æternæ periculum: eſt tamen periculum, idque maximum, deſerendæ & impugnandæ veritatis: nam cùm vox populi ſit vox Dei, cùm plus videant oculi quàm oculus, cùm vix credi poſſit ſemper, ubique & ab omnibus errorem pro veritate eſſe admiſſum, cùm antiqua omnium ſcriptorum ſententia ab ipſa rei origine adhuc incorruptâ, dimanaſſe putanda ſit, quis non videat eum manifeſto errandi periculo ſe exponere, qui dimiſsâ ſententiâ ab omnibus ſemper, ubique, conſtanter receptâ, novam aliquam & ſingularem opiniunculam, ut cum Vincentio loquar, & ſibi fingit, & aliis ſequendam proponit.

His ita ſe habentibus, evidenter apparet invictum fore noſtræ ſententiæ fundamentum, ſi oſtenderimus ſemper, ubique, & ab omnibus ſcriptoribus totoque Ordine creditum, ſcriptum, & traditum eſſe Sanctum obiiſſe plus-quàm nonagenarium, proindeque non anno 1437. ſed anno 1416. aut circiter, eſſe natum. Id autem præterquam quòd ab adverſario non negatur, ut in ejus reſponſionibus videbimus, demonſtratu facillimum eſt.

Nam primò quod id ſemper creditum, ſcriptum & traditum ſit, ex continua au-

torum per annos ſerie fit manifeſtum.

Anno 1514. ſeptem tantùm annis poſt obitum Sancti, & quinque annis ante illius Canonizationem R. P. Hugo de Varenna præerat huicce Provinciæ Franciæ, ſeu Pariſienſi, ut patet ex Catalogo Provincialium apud Lanovium, & ex actis viſitationis ejus Provincialis, quæ in Conventu Nigeonenſi aſſervantur. Hujus autem quænam eſſet ſententia jam Superiùs oſtenſum eſt ex Martyrologio per eumdem typis prædicti Conventus edito, ubi ad ſecundam Aprilis declarat Sanctum uſque ad nonageſimum primum Ætatis annum, ſub incredibili auſteritate perſeveraſſe. Nec mihi dubium quin aliis ſuæ Provinciæ, ſuæque Nationis Minimis idem tunc omnino perſuaſum eſſet, cùm nulla appareat ſuſpicandæ inter eos diſſenſionis ratio vel minima. Porro ille poſt Collegæ Generalis expletum officium, iterum iterumque ad Provincialatum revocatus, in eo immortuus eſt anno 1542.

Anno 1518. Jacobus Simoneta coram ſummo Pontifice vitam & miracula Sancti luculenter expoſuit; & anno ſequenti Jacobus Sadoletus Canonizationis ejus Bullam digeſſit. Hi verò, ut jam notum eſt, idem prorſus definiunt. Atque id proculdubio juxta ſenſum Correctoris Generalis Ordinis

Digitized by Google

Ordinis, ejuſque Collegarum, nec non & Procuratoris etiam Generalis, & omnium Minimorum Romæ commorantium, qui ea de re vel conſulti ſunt, vel ſi quæ fuiſſet difficultas & controverſia, certiſſimè conſulti eſſent.

Anno 1528. Clemens Papa V I I. per Bullam ad omnes Fratres Ordinis directam, quæ incipit, *libenter ad ea*, eis conceſſit ut proprium de ſanctiſſimo Patriarcha officium publicè, privatimque, recitarent, quod illi quidem ingenti ſolertiâ elaborari fecerant, ipſe verò iterum diligenter inſpici & examinari curaverat. In hujus autem officii lectionibus diſtinctè dicebatur, Sanctum obiiſſe anno ſuæ Ætatis nonageſimo primo. Prout etiam nunc dicitur, quamvis illud officium poſt Romanam Breviarii correctionem in aliquo ſit mutatum. Verum eſt id eſſe ſumptum ex relatione Jacobi Simonetæ. Sed ſi non fuiſſet hic totius Ordinis ſenſus, ſi ea opinio ſolâ diſſimulatione ob Bullam, ut vult Papebrochius, fuiſſet tolerata: ſi contraria traditio adhuc in plerorumque animis impreſſa ſubſtitiſſet, quomodò in officio per omnes Conventus, totumque Ordinem recitando, tantoque examini ſubjecto illud correctum non fuiſſet. Erat profectò opportuna hæc errorem corrigendi, ſi quis ad-

fuiſſet, occaſio: Sed nihil correctum eſt, quia nullus ſuberat error, nec aliter quiſquam aut tunc ſentiebat aut priùs, etiam ante Canonizationem, ſenſiſſe agnoſcebatur.

Anno 1540. Religioſi Nigeonenſes curarunt edi ſuum illud Martyrologium cum Elogio ſeu memoria Beati Patris, in qua ut cap. 4. dictum eſt, expreſsè declaratur eum ad nonageſimum primum ſuæ Ætatis annum pertigiſſe. Fruſtra hic repeterentur quæ ad eam rem loco citato proſequuti ſumus. Verùm tria ſunt animadverſione digniſſima, quæ hic addidiſſe juvabit. Primum eſt, probabiliſſimum videri hanc Sancti memoriam non eſſe typis in Martyrologio mandatam, niſi prout manuſcripta legi conſueverat à tempore ipſo Canonizationis, aut etiam Beatificationis, quæ anno 1513. facta eſt. Ratio eſt, quia dubitari non poteſt quin à tempore illo ipſius Feſtum à Leone X. conceſſum quot annis in Martyrologio annuntiaretur: juxta eam rubricam quâ cautum eſt, ut Feſta propria etſi in textu Martyrologii non inſerta, primo loco pronuntientur. At non eſt veriſimile Patres Nigeonenſes uſitatam, tritamque annuntiandi formulam in ſua editione deſeruiſſe, novamque induxiſſe: cùm inde timere debuiſſent ne ſuum Martyrologium

aliis Conventibus non probaretur: Ergo illud tantùm elogium ediderunt, quod jam antea à tempore Canonizationis, aut etiam Beatificationis manuſcriptum legi conſuetum erat. Secundum eſt, eamdem Sancti memoriam non Nigeoni tantùm, ſed aliis etiam in locis tum ejuſdem Provinciæ, tum aliarum fuiſſe uſurpatam: cujus veſtigium eſt, quòd prædicti Martyrologii typis Nigeonenſibus editi exemplar etiam-num in Conventu noſtro Lugdunenſi reperiatur. Tertium eſt, hanc ipſam memoriam per multos deinceps annos in choro recitatam eſſe: nempe uſque ad annum 1584. quo Martyrologium à Ceſare Baronio Correctum, evulgatum eſt: cùm enim ad id uſque tempus nomen Sancti textui Martyrologii ab Eccleſia non eſſet illatum, neceſſe fuit propriâ illâ formulâ ipſum annuntiare. Ex his verò omnibus liquet per totum fere ſæculum decimum ſextum lectum fuiſſe quarto nonas Aprilis, *ad primam*, Sanctum non minùs quam nonaginta & unum annos vixiſſe.

Anno 1568. vel circiter clauſtrum Conventus noſtri Romani Sanctæ Trinitatis cœpit elegantibus picturis decorari: quibus vita & miracula Sancti duo-de-quadrinta tabellis ad vivum repræſentantur: quæque ſæpius, ac primùm quidem anno 1584.

in æs incisæ, passim circumferuntur. Ex his disci potest quid tunc in hoc mundi theatro, in hoc totius Ordinis centro, de ejusdem Sancti Chronologia teneretur; seu potiùs quantum noster computandi modus omnium animis esset impressus. Quippe sub prima tabella, in qua Sancti nativitas delineatur, hæc habetur inscriptio. *Anno à salute hominibus restituta*, 1416. *B. Franciscus de Paula, in Calabria, Iacobo & Vienna parentibus, prolem à Deo postulantibus, nascitur.* Sub tabella verò 35. in qua illius mors figuratur, legitur hæc altera. *Obiit in Gallia, in suo Conventu, ad Plessiacum Turonense, an. Domini* 1507. *Ætatis suæ* 91. His adde communem iconum ejus subscriptionem, quæ & in illo claustro in capite omnium tabellarum cernitur, & ex antiquissimis, imo & primis ipsiusmet imaginibus desumpta esse non dubitatur. *Sanctus Franciscus*, ait, *Ordinis Minimorum Fundator natus est anno* 1416. *Ordinem incœpit anno* 1435. *obiit anno* 1507. *Ætatis* 91. *à Leone decimo Canonizatus est*, *an.* 1519. Num esse potest certius ac patentius sententiæ nostræ tunc, imo & semper vigentis monimentum?

Annis sequentibus innumeri autores de Sancto ex professo scripsere. Ut an. 1571. David Romæus vir clarissimus, in vitis Patronorum Neapolis, latinè. Eodem anno,

Gaspar Passarellus 23. Ordinis Generalis omnium ad religionis decorem pertinentium diligentissimus indagator, Latinè & Italicè. An. 1581. Paulus Regius Episcopus Vico-aquensis in Calabria, & Universitatis Neapolitanæ Doctor emeritus, Italicè. Eodem anno Antonius Stephanus in hac Franciæ Provincia bis Provincialis, Gallicè. An. 1596. Petrus de Mena 30. Ordinis Generalis, ejusque negotiorum peritissimus, Hispanicè. An. 1601. Hieronymus Marafioti Franciscanus de observantia, in antiquitatibus Calabriæ, lib. 4. c. 21. Latinè. An. 1609. Claudius Viverius in Francia & Belgio quintò Provincialis, Gallicè. An. 1613. Sylvester Maurolicus Abbas Ordinis Cisterciensis, in mare oceano omnium Religionum, Italicè. An. 1619. Lucas de Montoya, celebris Ordinis Chronographus, Hispanicè. An. 1621. Joannes Chappot laudatissimus scriptor, & deinceps Ducatus Burgundiæ Provincialis, Latinè. An. 1624. Ludovicus Donius ex Provinciali ejusdem Provinciæ, ad Episcopatum Reyensem, & Augustodunensem assumptus, Gallicè. An. 1627. Franciscus Victon B. Patris ex sorore abnepos, & in Sabaudia Vicarius Generalis, Latinè. An. 1635. Franciscus Lanovius Primarius Ordinis Chronista, item Latiné. An.

Digitized by Google

1638. Marcellus Sanſeverinus, apud Genuenſes noſtros celeberrimus, Italicè. An. 1645. Matthias Oliverus è Provincia Cathalauniæ, Hiſpanicè. An. 1651. Matthæus de Pineda è Provincia Caſtellæ, etiam Hiſpanicè. An. 1655. Hilarion à Coſta, & ipſe ſanctiſſimi Patriarchæ abnepos, ac Hiſtoricus è noſtris non illaudatus, Gallicè. An. 1658. Iſidorus Tuſcanus de Paula, noſter, Italicè. An. 1663. & 1674. Philippus Wander-beke è Provincia Belgii, Latinè. Ii porro omnes, nullo excepto, uno ſenſu, unâ voce, uno calamo dicunt, pronuntiant, definiunt, quod toties à nobis repetitum eſt, Sanctum & 91. annos vixiſſe, & an. 1416. eſſe natum. Igitur meritò aſſerimus hanc eſſe certam & indubitatam ſententiam omnium à principio Ordinis temporum & annorum.

Secundò, quod idem etiam ubique creditum, ſcriptum & traditum ſit, ex iiſdem mediis & teſtimoniis remanet manifeſtum. Nam primò autores ſtatim à nobis relati non ad unam tantùm gentem & nationem pertinent, ſed ad eas omnes ad quas Ordo propagatus eſt, & ad Europam pene univerſam. His iterum adde ex Italia, Laurentium de Pereynis Provinciæ noſtræ Genuenſis ſuo tempore Provincialem, virum ſummi ingenii & doctrinæ, quique nihil

nisi post accuratissimum examen scribere solitus erat, in præf. ad Commentarium posthumum Regulæ. Q.7. Ex Gallia, Stephanum Isnardum, Sacræ Theologiæ apud nos Professorem & antiquitatum Ordinis scrutatorem sagacissimum, in Codice minimo, verbo *Generalis*. Ex Hispania, Petrum Jacobum Tristan ex nostris Tertiariis juris utriusque Doctorem, in compendiosa chronica virorum Ordinis sanctitate præcellentium. Ex Belgio, Balthasarem Davila 44. Ordinis Generalem, in Manipulo Minimorum. *Ver. Franciscus.* num. 648. Ex Germania, Laurentium Surium, Zachariam Lippeloon, & Cornelium Grossium Carthusianos symmistas, solo nomine notissimos, ad secundam Aprilis. Adde etiam cæteros qui ex omni gente, & in omni lingua vitas Sanctorum ediderunt. Ut Philippum Ferrarium, Alfonsum Villegam, Petrum Ribadeneiram, Renatum Benoist, Benedictum Gonon, Franciscum Haræum: quos omnes ad unum si consulas, perspicies in ea quam Sancto tribuimus Ætate & Natali epocha nobiscum & inter se miro modo consentire. Præterea, quod maximè notandum, omnes illi autores non tam ex suo sensu id determinant, quàm ex opinione apud suos, & ubique sine ulla controversia recepta: neque enim istud in

Digitized by Google

diſputationem adducunt, ſed ut publicè notorium, ſimpliciter affirmant: unde perinde eſt ac ſi totam ſimul Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Belgium, Germaniam loquentes, & teſtimonium ea de re ferentes audiremus. Ut jam nemo ſit qui ambigere debeat, quin noſtra ſententia ſit, fueritque univerſalis, undequaque diffuſa, & ſi vim nominis ſpectes, verè & propriè catholica.

Tertiò tandem, quòd idem ab omnibus ſit creditum, ſcriptum & traditum, ampliori jam probatione non indiget, cùm ex præcedentibus non poſſit non eſſe omnino evidens. Juvabit interim pro majori luce & dictorum robore notare, quòd cùm R. P. Hilarion à Coſta, in critica hiſtoriæ Sancti, autores pluſquam 50. referat qui de illius actis ſcripſerunt, & R. P. Philippus Vander-beke in præfatione ad librum, inſcriptum, *Trinitas Patriarcharum* ſecundæ editionis, plures alios recenſeat, qui circa idem argumentum verſati ſunt, ne unus quidem inter tot tantoſque deſignari poteſt, qui à nobis diſſentiat, quique ſi tempora notet, diſtinctè non dicat Sanctum aut an. 1416. natum eſſe, aut pluſquam nonagenarium obiiſſe. Quid? quòd id ipſum ſcripſerint celebres illi rerum eccleſiaſticarum Annaliſtæ, qui incœptum ab Eminentiſſimo Cardin. Baronio annalium

opus ad viciniora nobis tempora produxerunt, Bzovius sc. Spondanus & Raynaldus, licet iste de rebus in Sancti Canonizatione agitatis & peractis non parum instructum sese demonstret. Quid? quòd innumeræ per totam Europam imagines pictæ, sculptæ, cælatæ id ipsum publicè nullo refragante repræsentaverint, & etiamnum repræsentent. An non igitur ea veritas talis est quæ semper, ubique, & ab omnibus, certò, constanter, & perseveranter scita, probata, & tradita sit!

Confirmatur primò mira hæc universalitas ex devotione tredecim dierum veneris in honorem Sancti fieri solitâ ad beneficia tum spiritualia tum temporalia, illo mediante à Deo obtinenda: quæ quidem in eo consistit quod is qui beneficium sibi conferri postulat, per 13. dies veneris continuos & non interruptos sacrum ad ejus memoriam celebrare curet, atque etiam si fieri potest conscientiâ per exomologesim expiatâ, ad sanctum altare, corpori Christi communicet. Quippe hæc devotio & antiquissima est, & ubique diffusa, & omni-generis hominum usu aut approbatione firmata. Antiquissima, inquam, ut pote cui nullum aliud initium quàm quod venerationis & cultus ipsius B. P. Francisci fuit, assignari queat. Ubique diffusa, cum in om-

nibus Ordinis Provinciis à Panormitana ad Belgicam, & ab Hiſpalenſi ad Germanicam uno animo religiosè obſervetur. Denique omni-generis hominum uſu aut approbatione firmata : cùm & ſacerdotes & laïci, & nobiles & plebeii, & viri ac mulieres hac orandi formâ divinam ſoleant implorare clementiam.

Quin & innumeris miraculis undequaque illuſtrata eſt, & quotidie illuſtratur. Et quidem duo ab ipſo Papebrochio pag. 228. & 229. referuntur in Bohemia facta, & ab eminentiſſimo Card. & Arch. Ernesto ab Harrach, atque à venerabili Conſiſtorio Pragenſi juridicè examinata & approbata, an. D. 1646. Alterum ſic ſe habet.

Anno 1638. Illuſtriſſima D. Elizabetha de Kolovvrat, nata Baroniſſa à Lobkovvitz longo tempore tanto capitis dolore & punctionibus lecto affixa decubuit, ut omnium judicio de vita ejus conclamaretur, nullique medicorum tam Pragenſium, quam ex aliis exteris partibus expreſsè concovatorum, illi in tam acerba ægritudine opem aut levamen minimum conferre poſſent. Tandem Illuſtriſſimus D. Henricus Liebſtinſki à Kolovvrat tunc temporis ſupremus hujus Regni Boëmiæ Camerarius, poſtmodum verò ejuſdem Regni ſupremus Præ-

fectus, ejus conjux, insignium virorum judicio persuasus, Divo Francisco de Paula votum fecit, quòd nimirum 13. diebus veneris consequenter, dicti Sancti Sacellum adiret, & pro dicta ægrotante, de more solito, in ipsius Sancti honorem sacra legi curaret, ipsaque audire, suasque preces devotè persolvere vellet. Quo facto, ex tempore dicta Illustrissima, nullis ampliùs usa medicamentis, sensim convalescere visa est. Ut sanitas illius nullis mediis naturalibus attribuenda sit, sed soli Deo per intercessionem dicti S. Francisci.

Alterum verò tale est. Illustrissima Theodora Helena Mitrovvskin, Hannevvaldi ab Ekerstorf vidua, quinquennali conflictata morbo, impotens demum virium, decem continuis mensibus affixa lecto, lethalibus quatuor morbis concurrentibus, à peritissimis medicæ artis, inter mortuos numerabatur. Neglecto igitur humano, divinum illa medicum anhelans, ad devotionem tredecim missarum in honorem sancti Francisci de Paula more consueto legendarum se magnâ spe, & zelo obligat, mittitque ancillam, ut loco sui dictis missis intersit, præcipuè quintâ die veneris; per quinque vulnera Christi rogando, ut mediante intercessione S. Francisci de Paula, vel ad mortem, vel ad valetudinem ferventer divi-

Digitized by Google

nam imploret opem ; se idem domi facturam. Summè mirandum, eodem sacro sanctæ Missæ tempore, dicta Domina sanitati restituitur, visumque hoc miraculum à multis nobilibus & ignobilibus eorumdem attestatione confirmatur an. 1637.

Hæc miracula ipsis processus terminis describere volui, ut ex eis videas devotionem de qua agimus non solùm ad Boëmiam usque penetrasse, sed etiam in illa passim, communiter, & ex insignium virorum judicio & suasione usurpari. Sicut & à Deo potentiæ suæ manifestatione confirmari. Plura alia etiam insigniora recitantur à nostris Timotheo Reynier, Nicolao Bertin, & Philippo Vander-Beke jam laudato, in peculiaribus libellis de illa devotione editis, quæ apud illos legi possunt.

Quid verò ad nostrum propositum antiqua hæc & communis devotio? plurimum sanè. Nam cùm in illa duo præsertim observentur; primum, quod specialis Beati Francisci de Paula cultus feriæ sextæ, seu diei veneris consignetur. Alterum, quòd idem cultus per tredecim ferias sextas seu dies veneris continuos protrahatur; primum quidem inde ortum est, quod Beatus ipse Franciscus ad passionem Domini diebus veneris recolendam summè affectus esset, & quòd iisdem diebus & severiorem

contra se districtionem exercuisse, & illustriora miracula patrasse, & majores gratias cælitùs accepisse credatur, ut insigne illud Charitatis ipsi ab Angelo pro Religionis tessera donatum, cujus fidem facit F. Joannes de Milazzo ipsi coætaneus, in manu scriptis conventui Neapolitano relictis. Præsertim verò inde, quòd die veneris, eâque sanctâ, circa horam qua Christus mortuus est, beatissimum Spiritum æterna gloria donandum, in cælum emiserit. Ex hoc quippe factum est, ut ea die singulis hebdomadis recurrente, summus ad nostras Ecclesias, plerisque in locis, ab ipso tempore ejus obitus fuerit populorum confluxus. Cui suffragaturus Clemens Papa VII. an. 1533. singulis nostram Ecclesiam Neapolitanam prædicta die, animo pœnitenti visitantibus, centum dies indulsit de pœnis eis impositis, per Bullam quæ incipit *Salvatoris nostri*; à nostris Lanovio & de Pereynis in suis Bullariis relatam.

Quod verò attinet ad protractionem ejusdem cultus per tredecim ferias sextas, totidemque hebdomadas quæ dies nonaginta & unum complectuntur, inde nata est quod Sanctus nonaginta & unum annos in hoc mundo vixerit: ut sicut triginta trium orationum Dominicarum coronam recitamus in honorem 33. annorum quibus salva-

tor inter mortales conversatus est : coronam vero 63. salutationum Angelicarum, in honorem 63. pariter annorum, quibus Beatissima Virgo in terris peregrina permansit, ita dies 91. tredecim hebdomadis comprehensos, celebremus, ad recolendos totidem annos, quibus sanctissimus ille Patriarcha vitam vixit virtutibus, miraculis, & voluntariis corporis afflictationibus admirandam; quolibet die uni anno respondente.

Nec dicat Papebrochius dari posse alias hujusce numeri causas, ut quòd Sanctus tredecim annos natus in desertum concesserit, quòd tredecim socios ad Religionem inchoandam adsciverit. Quòd Christum cum 12. Apostolis venerandos & imitandos proposuerit : Nam licet hæ rationes huic ce devotioni pia meditatione adaptari possint; certum est tamen ex traditione non eas fuisse illius instituendæ causas, sed eam quam diximus; quamque ex seniorum nostrorum suggestione notaverunt ii autores qui singulares de illa tractatus ediderunt.

Nec iterum instet, haberi in libro opusculorum B. illius Patriarchæ, eum illius numeri esse autorem, solitumque dicere fidelibus ad eum recurrentibus ut per 13. dies veneris non interruptos missam celebrari curarent, cui & interesse, & exomologesi

facta, per ſacram communionem participare non negligerent. Nam imprimis id ſatis incertum eſt, utpote nullius autoris illius vel proximi temporis quem noverimus, teſtimonio firmatum. Secundò quamvis id ita eſſet, nulla ratione nobis adverſaretur: nam aliud eſt devotio 13. dierum veneris abſolutè ſumptis, quam ſanctus Pater ob aliquas pias rationes probare & fidelibus commendare potuit, aliud devotio 13. dierum veneris in illius honorem inſtituta, ſeu ad ipſum venerandum applicata. Et illa quidem ſi à Sancto prodiit profectò ad numerum annorum quem vixit, non reſpexit. Hæc autem quæ ſolos ejus diſcipulos ut autores agnoſcit, ex illo numero nata eſt, atque ad illum recolendum fuit determinata.

Itaque manifeſtum eſt ſummam eſſe ejuſmet devotionis tredecim-dialis, tredecimque-hebdomadalis cum Ætate Sancti pluſquàm nonagenaria connexionem, ut quæ non ſolùm ab ea originem duxerit, ſed illam etiam tanquam ſuum, ut Scholaſticè loquar, ſubjectum, ſuamque materiem reſpiciat. Inde verò duo ſunt inferenda. Primum eſt, quòd cùm ea devotio & magnis à Deo miraculis commendetur, & continuo uſu ab hominibus doctrina & pietate inſignibus approbetur, non incongruè dici poteſt illamet Ætas & ab iis hominibus, &

Digitized by Google

abipso Deo commendari, approbari, & rati-haberi: cum satis æquè judicari possint cultum non approbaturi, nisi ipsimet rei quæ colitur fidem accommodandam esse censerent. Id tamen solum ut probabile propono. Nam aliunde fieri potest ut Deus aliquas orantibus gratias, etiam miraculo plenas impertiatur, quamvis eorum pietas & devotio nonnullo errore misceatur, puta ut sanitatem conferat per reliquias quæ putantur esse unius Sancti, cum reipsa sint alterius. Nec eo in casu errorem approbare censendus esset, sed solam errantium devotionem. Interim cum hoc rariùs fiat, nec facile diutiùs durare permittatur, argumentum sua probabilitate etiam maxima non caret.

Alterum verò, quod debet inferri istud est quòd cum ea devotio & antiquissima sit, & ubique diffusa, & omni-generis hominum consensione firmata, ut superiùs ostendimus, necesse est etiam ut traditio de ea Ætate quam Sanctissimo Patriarchæ vindicamus, eosdem habeat caracteres. Quando enim certum est prædictam devotionem huicce traditioni ita connexam esse, ut ei tanquam principio & fundamento innitatur, quâ tandem ratione vel primis religionis temporibus sine illa nata esset, vel per totam deinde Italiam, Siciliam, Galliam,

Hispaniam,

Digitized by Google

Hiſpaniam, Belgium, Auſtriam atque Bohemiam abſque eâdem diſſeminari potuiſſet? Non ergo hæc alterâ minùs antiqua eſt, minùs diffûſa, minùs univerſalis, & ſicut ſemper & ubique viguit tredecim dierum veneris ſeu tredecim hebdomadarum in honorem Sancti devotio; ita ſemper & ubique viguit certa & conſtans de Ætate illius pluſquam, nonagenaria, traditio.

Confirmatur iterum & maximè roboratur eadem univerſalitas ex unanimi hominum hujus ætatis perſuaſione & conſenſu. Neque enim negare poteſt ipſe Papebrochius, quin omnes per totam Europam Minimi, hocce tempore, firmiter teneant Sanctum obiiſſe plus quàm nonagenarium. Quæro autem unde, & à quibus illi, & nos id acceperimus? nempe à patribus & ſenioribus noſtris: iis videlicet qui dum juniores eſſemus, ac novitii, ad octuageſimum annum jam declinabant, apud quos nulla erat ea de re dubitatio; ſed nec dubitationis unquam futuræ vel minima ſuſpicio. Ipſi autem unde id acceperant? certe ſimiliter à ſuis Magiſtris & anteceſſoribus, qui Religionem ſæculo decimo ſexto finiente conſtituebant. Hi verò à quibus idem erant edocti? profecto & ab aliis antiquioribus, qui circa medium ejuſdem ſæculi florebant, qui quidem, ut & alii ſtatim recenſiti, li-

Digitized by Google

cet pauca scripserint, ut Ordinis Minimi fert genium, eminebant interim ut plures in omni scientiarum & exercitationum genere, & primas in suggestibus, in disputationibus, in publicis controversiis, ut linguarum, historiæ, artiumque peritia partes obtinebant. Ut Joannes ille Dehemius sui ævi Paulus & Helias dictus, cui defuncto Parisienses, quod forte alteri nunquam, ob urbem ab hæresi præservatam, honorificum cum Epitaphio monumentum propriis sumptibus Nigeoni posuere. Item Simon ille Guichardus, à Theophilo Raynaudo in *Mantissa* tantopere laudatus, qui cùm & utriusque Theologiæ, & Latini, Græci, Hebraici, Chaldaici, & Arabici sermonis, peritissimus esset, ac immenso Religionis zelo flagraret, perpetuum se hæreticorum malleum, ut & communiter vocabatur, præstitit: unde etiam vocandæ in Gallias meritissimæ Societatis Jesu, quam Ecclesiæ contra hæreticos clypeum & gladium esse noverat, autor ardentissimus fuit. Rolandus item Guichardus præcedentis ex Fratre Nepos, ab eodem Raynaudo non inferiore præconio commendatus, qui ut erat eruditionis fons inexhaustus, novatoribus arguendis, confutandis, convertendis per sexaginta fere annos, etsi bis ab eis veneno potatus, & etiam crati ferreæ arden-

Digitized by Google

ti impositus, perpetuò insudavit. Franciscus etiam Humblotus Philosophiæ, Mathematicæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ, ac Theologiæ ante Religiosam professionem, laureâ insigniter donatus : subinde vero divini verbi præco incomparabilis : ad quem non in choro, ut fieri solet, sed in navi majoris Ecclesiæ Parisiensis concionantem, tantus accurrebat populorum confluxus, ut ea Ecclesia quâ vix in Europa ulla major, brevis & angusta videretur. Item Joannes Franciscus de Binans, perpetuum & ipse hæreticorum sicut & Judæorum Flagellum, quem & divinitus edoctum, & quasi Deo inspirante sæpius locutum, ejus ætatis homines ferunt.

Innumeros similes prætereo etiam de gente nostra, quibus brevi elogio non sufficerem : puta Joannem Ropitelium alium Calvinianorum domitorem. Joannem Cannartum, priùs quidem Socium Sorbonicum, tum verò apud nos summorum Theologorum patrem & magistrum. Josephum Tellerium * Excellentissimi Domini Michaëlis le Tellier Franciæ Cancellarii propatruum, ut sanctitate, ita & scientiâ & gloriosâ generalatus administratione percelebrem. Ægidium Camartum Illustrissimi Do-

* Fuit quartùm Provincialis Franciæ & primus Provincialis Campaniæ.

Digitized by Google

mini Joan. Baptistæ Colbert regni Ministri & Genii, ejusque fratrum proavunculum, divinæ humanæque sapientiæ, ut ait noster Lanovius in ejus Epitaphio, supra hominem peritum, & in Generalatu immortuum.

Quid de iis qui in exteris etiam nationibus, Italia scilicet & Hispania, ut virtutum ita & nobiliorum disciplinarum laude, longè latéque claruerunt? Quid de multò pluribus, qui cum urbes & provincias pari doctrinæ & eloquentiæ famâ complere possent, elegerunt potius intra monasterii septa, & in secreto cellæ angulo delitescere, ut occultam Salvatoris vitam perfectiùs imitarentur.

Ab his ergò patres nostri Ætatem Sanctissimi Patriarchæ edocti sunt, ab his & nos eis mediantibus didicimus. Ipsi verò tandem à quibus, nisi ab illis qui nascentem adhuc religionem viderant, ac ipsimet Sancto fuerant coætanei? Illuc enim usque ascendere licet, nisi quis ostendat in tempore aliquo intermedio factam fuisse ea in re mutationem, ita ut religiosi non quod à patribus acceperant, posteris tradiderint; sed aliud omnino, quod sua ætate confictum & introductum fuisset: quod quidem nulla ratione dici potest: tum quia nulla apparet hujus mutationis memoria, ullum vestigium, nullum neque in libris,

Digitized by Google

neque in tabulis, neque in traditione testimonium. Tum quia prorsus incredibile est spiritum erroris adeò fuisse vehementem, ut compertam de Ætate Sancti sententiam ex omnium animis deleverit, ejusque loco in illis novam, falsamque, aliis in posterùm propinandam, impresserit.

Itaque constantissimum esse debet id ipsum quod de Ætate Sancti credimus, quodque ab immediatis patribus accepimus, eum videlicet annos 91. vixisse; semper, ubique, & ab omnibus quorum intererat, creditum esse ac traditum: ac proinde cum ex acceptissima Vincentii Lirinensis doctrina, ad nostrum etiam propositum accommodata, id verum sit, firmiterque tenendum, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus, certè, & constanter creditum est; profectò ab illa Ætatis plusquam nonagenariæ sententia nullatenus est discedendum. Quis igitur erit hujusce disputationis exitus? nempe is ut spero de quo idem Lirinensis, c. 9. quemque usitatum & solitum vocat: *Retinebitur antiquitas, explodetur novitas.*

Interim videndum est, quid ad hanc probationem, aliasque in ea veluti renovatas respondeat Papebrochius: sed ne hoc caput longiori excursu tædium pariat, sub novo titulo res proponenda.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Examinatur responsio ad hanc postremam alias-ve probationes, & insufficiens demonstratur.

FATETUR ingenuè Papebrochius longam hanc & universalem nobis favere traditionem, & omnes autores quotquot videre potuit à nobis stare, nostrumque computum sequi. Sed huic tria replicare videtur. Primum est, tantæ autorum nobis suffragantium multitudinis exiguam haberi debere rationem, quia autores non sunt numerandi sed pro sui laboris merito ponderandi: isti verò sine ullo examine rem definierunt, sed unus alterum exscripsit: seu potiùs omnes & Simonetæ relationem, & Bullam Canonizationis simpliciter transcripsere: ut constat maximè de Laurentio Surio qui eam Bullam tota quanta est suis actis ad secundam Aprilis inseruit; & de Abrahamo Bzovio, qui vitam Sancti à Victorino editam, in suis annalibus totam transcribi curavit.

Secundum est, nec ipsi traditioni quantumlibet antiquæ & universali hoc in negotio fidendum esse, quia non est traditio originalis, seu quæ à tempore obitus San-

cti incœperit, & ab iis qui eum perfectè noverant emanaverit, sed paulò recentior, nempe ab anno Canonizationis inchoata, & per errorem in Bullam introductum, sensim disseminata.

Tertium est, ad id dicendum se cogi argumentis omnino convincentibus, *quippe de illo*, inquit, *quod asseveratione tam gravi firmatum, tanto consensu receptum, à nemine in controversiam vocatum fuit, nefas erit vel dubitare, nisi argumentis manifestè evidentibus haud ita esse convincaris.*

Quod attinet ad postremam hanc responsionis partem, fusè & pro merito in sequentibus capitibus examinabitur, ac nullius esse momenti convincetur. Quippe tam clarè ut spero, tamque solidè argumentis à doctissimo Collectore propositis, etsi ille putet ineluctabilia, satisfaciemus; ut nemini in posterùm difficultatem ullam facessere possint.

Quantum ad primam, verùm est autores non solùm numerandos sed præsertim ac maxime ponderandos. Atque utinam Papebrochius qui non potuit autores aliquos suæ sententiæ vindices non proferre, si eos ut nimis paucos numerare non poterat, saltem justâ ac legitimâ lance ponderasset. Profectò non prætulisset Joannem quemdam Antonachium, hominem igno-

tum, ac ſenem, ut fatetur ipſe, decrepitum, obſcuriſſimè etiam, & incertiſſimè de Natalis Sancti tempore loquentem; Simonetæ, Sadoleto, aliiſque Sanctæ Romanæ Eccleſiæ tum Cardinalibus, tum Officiariis, ipſique ſummo Pontifici, clarè, diſtinctè, & indubitanter de ejuſdem Ætate pronuntiantibus. Neque etiam pluris feciſſet in materiâ quam verſamus Philippi Cominæi qui ne quidem Sancti nomen noverat, ac de ejus Ætate quàm minimùm, ut aulicorum mos eſt, curabat, fluctuans, obiterque ſcriptum teſtimonium, quàm certam ſolidamque tum Bineti, ipſius Sancti Amanuenſis, tum aliorum Minimorum qui cum eo tot annos vixerant, atteſtationem. Porro nos, autores & numeravimus & ponderavimus. Numeravimus, inquam, & quotquot hactenus de Sancto ſcripſere, nemine reperto qui diſſentiret, noſtris æquiſſimè annumeravimus. Ponderavimus autem, etiam ad pondus Sanctuarii: quâ enim vi, quo rationum pondere tam in capite præcedenti, quàm in aliis antecedentibus, omnem ab aliquibus erroris ſuſpicionem amoliendam eſſe confecimus?

Fateor nonnullos eſſe præſertim ex exteris, qui vel Bullam Canonizationis, vel noſtros autores ſe antiquiores ſimpliciter deſcripſere, ut de Surio & Bzovio negari

non poteſt. Sed imprimis multi ſunt qui acta proceſſuum, teſtiumque depoſitiones aut alia ejuſmodi inſtrumenta præ manibus habentes, rem penitiùs examinare potuerunt, & ſine dubio examinarunt. Ut, ne de Simoneta & Sadoleto loquar amplius; Gaſpar Paſſarellus qui primus diploma Pyrrhi Archiepiſcopi Cozentini in favorem naſcentis Ordinis datum, quo potiſſimum adverſarius nititur, publicæ luci dedit, & certiſſimè legit, relegitque Paulus Regius Epiſcopus Vico-aquenſis, qui vetera manuſcripta Italica ſibi communicata, ad vitam Sancti concinnandam ſtudioſiſſimè contulit. Lucas de Montoya, qui Chronicæ Hiſpanicæ componendæ conquiſitis undequaque inſtrumentis, ſummam operam impendit: Franciſcus Victon, qui editioni ſuæ latinæ incumbens, authographos proceſſuum codices, à patribus Conventus Romani S. Trinitatis de monte commodatos, penes ſe habuit. Franciſcus Lanovius, qui ad Chronicon Generale ſcribendum ex intimis cœnobiorum Chartophilaciis acta undique comparavit. Hilarion denique à Coſta, qui vitæ Sancti breviculo obſervationes & probationes adjecit.

Deinde nec iimetipſi qui tanto labori pepercerunt, nihil ad veritatem dignoſcen-

dam conferre putandi sunt. Nam & aliis quos probant & sequuntur quodammodo fidem adstruunt, & traditioni sua ætate vigenti, certum & evidens testimonium ferunt, dumque illam repræsentant quasi tot testes exhibent, quot homines; & tandem legitimè credi possunt rem ideo curiosiùs non indagasse, quia illa ut publicâ famâ, ut unanimi consensu, & antiquâ ac supra omnem memoriam opinione firmata & stabilita, ampliori examine non indigebat. Quid plura, si summæ illi autorum inter se adeò mirabiliter consentientium multitudini non est deferendum, nullus erit deinceps modus, nulla ratio, illa quæ ad historiam aut antiquam Chronologiam pertinent cognoscendi, cùm ea non divinâ revelatione, non discursu & speculatione, sed autorum testimonio & relatione ad nos pervenire debeant. Ruit ergo penitus illa pars responsionis adversarii.

Quantum verò ad secundam partem: non minori difficultate refelli potest. Quippe nego absolutè traditionem nostram non esse originalem. Nego cœpisse solùm à tempore, & per Bullam Canonizationis. Nego errorem in ea Bulla contineri, à quo omnium sequentium ætatum error processerit. Et primò quod ei Bullæ error affingi non possit, adeo luculenter in superioribus de-

monſtratum eſt, ut nihil hic addendum putem. Quòd verò traditio noſtra ſit originalis præter quàm quod ex capite præcedenti ſatis conſtat, adhuc declarari hîc poteſt; quia ut non eſſet originalis, oporteret quod anno 1519. quo facta eſt Canonizatio, 12. tantum annis poſt obitum Sancti, facta fuiſſet in traditione mutatio, ita ut religioſi ad duo tria-ve millia totâ Europâ diffuſi, aliud cœpiſſent de Ætate Sancti credere, quam quod eatenus ſenſerant & crediderant; ſubindeque noviter advenientes aliud docere, quàm quod ipſi vel acceperant, vel coram audierant & viderant. Atqui id omnino incredibile, & ſecundùm humanum agendi modum prorſus impoſſibile eſt. Nec enim veritas præconcepta, præcognita, & animò impreſſa tam facile ex tot hominum mentibus deletur, expungitur, eradicatur: nec id unquam fit, quin multi repugnent, & longa maneat diſſenſionis ſcintilla, aut memoria, quæ tamen in propoſito nulla eſt. Ergo neceſſariò dicendum eſt eamdem traditionem poſt annum 1519. perſeveraſſe, quæ vigebat antea: cumque hæc traditio ſit eadem illa quam tenemus, quam propugnamus, quam ab errore vindicamus; abſolutè concludendum eſt, noſtram traditionem eſſe verè & propriè originalem: nec à Bullæ terminis initium ſumpſiſſe, ſed

à prima omnium sanctissimo Patriarchæ conviventium persuasione & doctrina.

Simili prorsus argumento utimur ad demonstrandum veritates catholicas quæ nascentibus hæresibus ubique & ab omnibus in Ecclesia tenebantur, ab Apostolis & à Christo originaliter dimanasse, atque de manu ab manum ad nos usque perductas esse; quia videlicet nulla apparet, nullaque unquam fuit in earum traditione mutatio. Est quidem hæc differentia, quòd ista traditio ad totam Ecclesiam: nostra ad unum tantùm ordinem pertineat: quódque eadem illa sit in materia fidei & religionis; nostra verò, solùm in materia historiæ & Chronologiæ: unde & huic absque salutis jactura vel periculo, non item alteri repugnare & contradicere quis potest. Verùm idem est arguendi modus, eademque veritatis explorandæ & inveniendæ via: quæ si in una falleret, in altera sine dubio saltem ratione formæ, & res humano & naturali modo pensando, aliquid sui roboris amitteret. Jam quod in hacce disputatione potissimum est, proponendæ, examinandæ, & dissolvendæ sunt adversarii objectiones: quod claritatis & facilitatis ergo, modo Scholastico præstabimus.

CAPUT IX.

Solvitur prima objectio petita ex depositionibus cujusdam testis processus Cosentini.

UT hæc objectio in tota sua vi appareat, nec quidquam ei lucis & roboris invidere videamur; prænotandum est plures ad S. P. Francisci de Paula Canonizationem autoritate & commissione Apostolica factos esse processus: qui tamen omnes ad tres reduci solent, quorum authentica transsumpta Româ transmissa, & subinde ipsi Papebrochio ab uno ex nostris prædecessoribus communicata, penes nos habemus. Primus factus est Cozentiæ, quæ est urbs Archiepiscopalis in Calabria, sub qua est civitas Paula, an. 1512. per Joannem Sarsalem Episcopum Cariatensem & Geryonensem, Apostolico mandato munitum, & in eo testes centum & duo sunt auditi. Secundus habitus est Turonibus in Gallia, an 1513. per Petrum Cruchet, & Petrum Chabrion, illius Ecclesiæ Canonicos ab Episcopis Parisiensi, Altisiodorensi, & Gratianopolitano Sanctę Sedis delegatis, Subdelegatos. Et in eo deposuerunt testes 57. Tertius formatus est in diversis urbibus Calabriæ ab an. 1516. ad an. 1518. & hic

continet depositiones centum viginti & unius testium, eo addito qui in partibus Franciæ ab Episcopo Ambianensi examinatus est.

In primo autem processu, qui à loco Cosentinus nuncupatur, decem articuli sunt propositi. 1. Qualiter urbs Paula à tempore omnem memoriam excedente Religionem Catholicam Professa fuerit, & pro Catholica sit habita. 2. Qualiter Jacobus Martotilla F. Francisci de Paula pater, ibi natus sit & baptizatus, & in eadem Catholica Religione semper vixerit & obierit, & ut verè Catholicus ab omnibus sit reputatus. 3. Qualiter Domina Vienna ipsius mater in eodem territorio sit nata & baptizata, & similiter ad mortem usque Catholica vixerit, & ut talis fuerit æstimata. 4. Qualiter inter utrumque, Jacobum sc. & Viennam fuerit verum ac legitimum matrimonium, ipsique pacificè in eo vixerint, & ut veri ac legitimi conjuges sint habiti. 5. Qualiter ex illis sic conjugatis natus sit dictus F. Franciscus, & pro legitimo eorum filio semper fuerit reputatus. 6. Qualiter eum sic natum baptizari & confirmari fecerint: illeque pro baptizato, confirmato, & vero Christiano semper fuerit habitus. 7. Qualiter idem in infantia & adolescentia honestè, Christianè, & canonicè vixerit, mul-

Digitized by Google

taque erexerit monasteria. Tres alii inquirunt de ejus austeritate, fama & miraculis.

His ita propositis, nec non & ad Valvas majoris Ecclesiæ Cozentinæ affixis, comparuit sexto loco venerabilis Dominus Joannes Antonachius, de terra Paulæ, & medio juramento, tactisque scripturis, id exposuit quod secundùm Deum exponendum habebat. Colligit Papebrochius ex titulo honoris ipsius nomini præfixo, eum fuisse Parochum, aut saltem presbyterum in terra Paulæ, sed id evidentiùs colligi poterat ex eo quòd in decursu suæ depositionis, super 9. articulum dicat, se in Ecclesia à Sancto ædificata missam celebrasse. Colligit etiam eum cùm deponeret fuisse 95. annorum, quia ad primum articulum declarat se scire à 95. annis, ex quo recordatur Provinciam Calabriæ esse Christianam: Sed cùm non facilè recordemur nisi ab anno sexto vel septimo, potiùs inde colligerem eum fuisse plusquàm centenarium. Quidquid sit, ex hujus testis depositionibus, & numeris eis affixis, dictus Papebrochius primum pro sua sententia argumentum desumit, quod sic proponi potest.

Beatus Franciscus de Paula non est natus an. 1416. sed potius an. 1437. nec vixit 91. annos, sed ad summum 70. si à desponsatione ejus parentum, usque ad 1512.

quintum, videlicet, post ejus mortem annum, fluxere tantùm anni 80. & ab ejus Nativitate usque ad dictum annum 1512. fluxere tantùm an. 75. atqui à desponsatione ejus parentum, usque ad annum 1512. quo supradictus testis deponebat, fluxere tantùm anni 80. & ab ejus Nativitate, usque ad eumdem annum fluxere tantùm anni 75. ergo non est natus an. 1416. sed potius an. 1437. nec vixit annos 91. sed ad summum annos 70.

Major est de se evidens, & si quas probationes exigeret, potiùs probanda esset calculis quam rationibus. Minor verò ostenditur nuda & simplici relatione verborum prædicti testis deponentis. Sic enim de illo scribitur in processu. *Super quarto articulo dixit, se scire quod inter dictum Iacobum Martolillam, & Dominam Viennam de Foscaldo fuit contractum legitimum matrimonium secundum consuetudinem & stylum S. R. Ecclesiæ, per verba de præsenti, sicut bonos & fideles Christianos decet, & toto tempore vitæ suæ pacificè & quietè vixerunt, fueruntque ab omnibus reputati & habiti pro legitimis marito & uxore. In causa scientiæ, quia scit, interfuit, vidit, & audivit. De loco, in terra Paulæ. De tempore, agitur octuagesimus annus.* (Scribit Papebrochius 75. Sed error est, vel manuscripti ad eum transmissi, vel ejus Typographi, nam

nam in authentico tum Latino tum Italico habetur 80.) Immediate verò post, additur. *Super quinto dixit, quod ex præfatis Iacobo & Vienna, legitimis marito & uxore, persistentibus in dicto legitimo matrimonio, natus est dictus F. Franciscus, ipsorum legitimus filius: qui ab eisdem Iacobo & Vienna fuit nutritus pro suo legitimo filio, & pro tali fuit habitus & reputatus. In causa scientiæ, quia interfuit, vidit & audivit. De loco, in Paula. De tempore, agitur 75. annus, vel circa.* Et iterum consequenter subjungitur. *Super sexto dixit, quod dicti Iacobus & Vienna quam primùm natus esset dictus F. Franciscus eorum legitimus filius. Sicut bonos christianos decet fecerunt eum baptizare in terra Paulæ, imposuerunt ei nomen,* Franciscus, *& postea fecerunt eum confirmare. Qui frater Franciscus fuit habitus & reputatus pro baptizato & confirmato. In causa scientiæ, quia interfuit, vidit, & audivit: de loco & tempore, ut supra.*

Quibus in verbis adversarius vult ponderari, non solùm illum testem expressè dicere, annos tantùm 75. fluxisse à Nativitate B. Francisci, ad tempus usque suæ depositionis, & annos tantum 80. à matrimonio ejus parentum, ad idem tempus: sed etiam testari, ac continuò repetere, se his eventibus interfuisse, ac illos coram vidisse: quod certè impossibile foret homini

etiam 95. annos nato, si B. Franciscus quinque annis antea, plusquam nonagenarius obiisset; quandoquidem eo modo ejusdem fuissent ætatis, nec proinde unus alterius natali, aut baptismo potuisset interesse. Cæterum censet ille plurimi faciendam hujusce testis depositionem, utpote omninò coætanei, & qui Sanctum ab ipsis incunabulis viderit & cognoverit.

Certe hoc argumentum primo aspectu solidum apparet, atque difficile, sed si maturiùs expendatur statim nullius esse momenti deprehendetur. Concedo itaque majorem, ut ex principiis Arithmeticaæ legitimè deductam. Nego autem absolutè minorem. Quin imo à matrimonio parentum B. Francisci ad annum usque 1512. fluxerunt centum anni, vel circiter. Posito quòd per 4. annos fuerint steriles. Ab ejus verò Natali, usque ad dictum annum, fluxerunt anni nonaginta sex.

Ad probationem minoris ex triplici Joannis Antonachii depositione petitam: Respondeo primò, mirum esse nec Cardinales à sacra sede deputatos pro examinandis processibus de quibus supra, nec causarum Sacri Palatii Auditores aut Advocatos Consistoriales Canonizationis Sancti negotio applicitos, nec Illustrissimos Simonetam & Sadoletum, nec Binetum, alios-ve Mini-

mos ejusdem Canonizationis promotores, nec denique tot scriptores nostros vidisse, deprehendisse, animadvertisse in depositione sexti illius testis, id quod Papebrochius vidit, deprehendit, animadvertit: quamvis & illi ejusmodi depositionem præ oculis, præ manibus haberent, illamque sæpius legerint, & expenderint, atque eâdem ad suas relationes aut historias componendas passim usi fuerint. Certè non leve est argumentum eam longè aliter intelligendam, quàm eo modo quo ab illo intelligitur & exponitur.

Respondeo secundò, quòd si valeret illa probatio, oporteret etiam quòd à nativitate & baptismo Jacobi Martotillæ Patris sancti Francisci, ad eum annum 1512. quo testis ille deponebat fluxissent tantum 80. anni, sicque Jacobus ille eodem anno natus esset quo desponsatus, & filii Natalem 5. solùm annis prævenisset. Nam & in actibus processus ita de prædicto teste scribitur. *Super secundo dixit se scire Jacobum Martolillam Patrem dicti F. Francisci fuisse natum in Paula, Christianum & baptizatum. Vixitque toto tempore vitæ suæ sub fide & Religione Christiana, in bona fama & sancta vita, & pro tali fuit habitus. In causa scientiæ, quia interfuit, vidit, & audivit. De loco, in Paulæ. De tempore, agitur octuagesimus annus.* Ubi vi-

Digitized by Google

des eum huic secundo articulo de Jacobi nativitate eumdem numerum 80. annorum apponere, quem articulo 4. de ejus matrimonio apponit: & similiter testari se interfuisse, se vidisse, se audivisse. Cùm ergo illud, nempe à nativitate & baptismo Jacobi Martotillæ Patris B. Francisci ad annum 1512. non fluxisse nisi 80. annos, manifestè falsum sit, nec solùm nostro, sed & adversarii computo absolutè repugnet: necessariò concludendum est probationem illam nullam esse; & numeros Chronologicos à sexto illo teste designatos, aliter interpretandos & accipiendos esse, quàm ab adversario accipiantur.

Respondeo tertiò, consequenter notas illas Chronologicas, tam in secundo articulo statim descripto, quàm in tribus aliis ab adversario productis & objectis, non debere referri ad actualem nativitatem, baptismum, aut desponsationem Jacobi Martotillæ, neque ad actualem Nativitatem, baptismum aut confirmationem B. Francisci, quæ illis longè antiquiores sunt, ut in tota hac dissertatione probatum est, sed ad id quod in iisdem articulis posterius est. Quippe notandum est hunc testem, sicut & alios in processibus relatos, eodem in articulo multa congerere, quæ nonnisi diversis temporibus facta fuerunt: neque interim

plures numeros aſſignare, ſed unum tantùm, qui ſubinde ad hanc vel illam articuli partem non adſtringitur, ſed ad aliquam determinari debet, ſecundùm rei exigentiam, & prout ex antecedentibus aut conſequentibus aliiſ-ve mediis apparet eſſe faciendum.

Sic ergo, cum ille in ſecundo articulo dicit, Jacobum Martotillam Paulæ natum eſſe & baptizatum, vitamque ſanctè tranſegiſſe in fide & Religione Chriſtiana, atque ab omnibus ut bonum Chriſtianum eſſe habitum: ſeque id ſcire, ut qui inter fuerit, viderit, & audierit: & id factum ante annos 80. hæc aſſiſtentia ſeu præſentia, hæcque temporis nota non debent referri ad nativitatem & baptiſmum Jacobi, ut ipſe adverſarius fateri cogitur: ſed ad Chriſtianam, ſanctamque illius vitam, & ad publicam de ejuſdem baptiſmo, Chriſtianitate & pietate exiſtimationem, prout ipſe jam vicenarius vel circiter, cœperat meliùs illam dignoſcere.

Similiter cùm in quarto articulo dicit eumdem Jacobum duxiſſe Viennam in matrimonium ſecundùm ſtylum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, eoſque poſtea ſemper invicem quietè & pacificè vixiſſe, atque pro legitimis marito & uxore eſſe reputatos: idque ſibi notum, quia interfuit & vidit: &

Digitized by Google

ab hinc fluxiſſe 80. annos; hæc iterum tam data, quàm aſſiſtentia non cadunt in actualem matrimonii illorum celebrationem, quæ centum annis præceſſerat, ſed in quietam ac tranquillam cohabitationem, & in optimam famam quæ de legitimo eorum matrimonio percrebuerat, quas ab octoginta annis vel circa certiùs cognoverat.

In quinto etiam articulo, cùm dicit, ex iis ſic copulatis legitimè natum eſſe F. Franciſcum, eumque ſemper pro legitimo eorum filio eſſe reputatum: idque ſe noſſe, quia adfuit & coram aſpexit: factumque id ante annos 75. hic numerus, hæcque præſentia non pertinent ad actualem Sancti Nativitatem, quæ hujuſce teſtis depoſitionem 95. annis anteceſſerat, ſed ad id quod ait, ipſum pro legitimo eorum filio tam ab ipſis quàm ab aliis eſſe reputatum: quod quidem tempore illo aſſignato pleniſſimè agnoverat.

Idem omnino dicendum circa depoſitionem articuli ſexti, ubi poſtquam teſtis *Sancti* baptiſmum & confirmationem aſſeruit, quódque ſemper pro baptizato, & confirmato ſit habitus, aſſignat adhuc idem tempus 80. vel 75. annorum id enim intelligi debet de epocha quâ ille cognovit publicam vulgi omniumque de iis rebus opinionem, non verò de epocha quâ San-

ctus actualiter illa Sacramenta suscepit.

Quid plura? cùm idem testis solùm quatuor, aut quinque annis Sancto antiquior esset; non vidit ejus Nativitatem, aut baptismum, multò minùs patris ejus matrimonium, vel natale, sed pueritiâ depositâ, cùm adolescens ad annum vigesimum accederet, clarè ac distinctè tam ipsos quàm quod de illis publicè circumferretur, agnovit: & hoc est quod deponit, & ad quod suæ depositionis datas seu notas Chronologicas refert. Quòd si obscuriùs loqui putetur, parcendum est hominis senectuti, vel potiùs decrepitæ ætati, quæ & memoriam labilem, & sermonem tremulum ac nutantem reddere consuevit.

Stet ergo tanquam certum ex depositione illius testis nullatenus probari fluxisse tantum 75. vel 80. annos à Natali Sancti, aut à parentum ejus desponsatione, ad annum 1512. nec proinde ex ea confici Sanctum vixisse solum 70. annos, quin potiùs duo sunt apud eumdem testem quæ nostram sententiam non parum confirmare videntur.

Primum est, quod art. 3. loquens de peregrinatione Sancti cum suis parentibus ad S. Franciscum de Assisio, & ad sanctam Mariam Angelorum, quæ contigit anno ejus ætatis 14. ait eam factam annis ante

ſuam depoſitionem 80. vel circiter, (qui numerus facilè extendi poteſt ad octoginta duos) quid enim illud eſt, niſi ponere 96. annos ab ejus Natali ad annum 1512. quo teſtis ille deponebat: quandoquidem 82. & 14. conſtituunt 96. ſi autem à Natali Sancti ad annum 1512. fluxerint anni 96. neceſſarium eſt eum & an. 1416. natum eſſe, & annos 91. vixiſſe.

Secundum eſt, quod agens de prima Eccleſia à Sancto ædificata, ait ſe ad illam veniſſe cum ſuo magiſtro, dicturum miſſam. Inde enim conſtat quòd jam Eccleſia illa, ſeu potiùs capella ædificata erat, & pro miſſarum celebratione benedicta, cùm ille adhuc magiſtrum, etſi ſacerdos, haberet. Vix autem fieri potuit ut illa Eccleſia ante annum Sancti vigeſimum ſecundum conſtructa eſſet & benedicta: nec ſatis convenienter ille ſacerdos exiſtimaretur magiſtrum habuiſſe ultra annum 26. aut 27. Ergo is non plus quàm quatuor aut quinque annis Sancto antiquior erat: Ergo cum tempore ſuæ depoſitionis ſeu anno 1512. haberet centum circiter annos, Sanctus tunc habuiſſet 96. ac proinde quinque annis antea, quo tempore mortuus eſt, erat Ætatis nonaginta & unius annorum: quæ eſt noſtra, & antiqua ſententia. Sed hæc de illo teſte ſufficiant, ad aliam objectionem tranſeamus.

Digitized by Google

CAPUT X

Soluitur ſecunda objectio, petita ex anno quo Sanctus in deſertum conceſſit.

BEATUM Patrem Franciſcum de Paula anno Ætatis decimo quarto aut citiùs in ſolitudinem ſe recepiſſe, & eremiticam vitam inchoaſſe, tam evidentibus teſtimoniis conficitur, ut illud nemo in dubium revocare poſſit. Quippe id teſtantur & diſcipulus ille coætaneus, quem ejus hiſtoriam ipſo adhuc ſuperſtite, & in humanis agente, compoſuiſſe, capite ſexto non improbabile judicavimus; in eadem hiſtoria cap. 1. & Philippus Cominæus, celebris rerum Gallicarum Hiſtoriographus, & ipſe Sancto coævus, lib. 6. ſuorum Commentariorum cap. 8. & teſtis ſextus proceſſus Cozentini, capite præcedenti laudatus, ad articulum 7. & teſtis 118. majoris proceſſus Calabrici, ab Epiſcopo Ambianenſi auditus, depoſitionis ſuæ, num. 1. & Jac. Simoneta in ſua ad Leonem X. relatione, & Jac. Sadoletus, vel potiùs ipſe ſummus Pontifex in Bulla Canonizationis, & omnes ſubinde vitæ & actorum Sancti ſcriptores.

Verum eſt alios anno decimo quarto, alios anno 13. alios anno 12. hunc ſeceſ-

ſum conſignare : ſed id ortum eſt, partim ex eo quòd ab aliis annus inchoatus, ab aliis annus ſolùm completus & finitus numeretur : Partim ex eo quòd aliqui duos receſſus, unum in Conventum ſancti Marci Ordinis Franciſcanorum, qui contigit anno 12. completo & 13. inchoato : alterum, in eremum, qui contigit anno 13. jam finito, decimo autem quarto jam incœpto, non diſtinguant ; ſed ſub communi receſſus in ſolitudinem vocabulo confundant & proponant.

Ex hac igitur Epocha doctiſſimus Papebrochius argumentum deſumit, quo conficiat Sanctum non anno 1416. ſed ad ſummum anno 1437. ortum habuiſſe, quod quidem ſic clarè & diſtinctè proponi poteſt. Cùm conſtet Sanctum anno Ætatis 14. vitam eremiticam eſſe profeſſum, ut dicatur natus anno 1416. debet etiam dici factus eremita anno 1430. ſunt enim intra hos terminos anni 14. atqui nullatenus dici poteſt B. Franciſcus anno 1430. eremita eſſe factus : quin imo hoc inſtitutum non eſt amplexus ante annum 1452. ergo non eſt natus anno 1416. ſed potiùs anno 1437. à quo ad annum 1452. fluunt anni 14. major evidens eſt, & ſolâ computatione facilè deprehendetur.

Minor oſtenditur. Quippe Sanctus non

eſt factus eremita ante annum 1452. ſi anno 1471. finiente per 20. tantùm annos vitam eremiticam profeſſus fuerat. Atqui anno 1471. finiente, per 20. tantùm annos vitam eremiticam profeſſus fuerat. Ergo non eſt factus eremita ante annum 1452. Major iterum conſtat: & ſolâ numeratione opus habet.

Minor verò clarè elicitur ex conſtitutione Pyrrhi Caraccioli Archiepiſcopi Conſentini, quâ naſcentem Beatiſſimi Patriarchæ Ordinem approbavit, confirmavit, & multis auxit, ditavitque privilegiis. Cùm enim ea conſtitutio data ſit die 30. Novembris, anni præfati 1471. Pyrrhus interim Beatiſſimum Patrem ſic alloquitur. *Dudum ad tuæ ſupplicationis inſtantiam, ſuper finibus & poſſe terræ Paulæ, quoddam Oratorium ſeu Eccleſiam, ſub vocabulo S. Franciſci, per te erigi fecimus, in quo divina officia audire, & Eccleſiaſtica Sacramenta recipere ac orare poſſes. Tu qui dictum Oratorium ſeu Eccleſiam, cum ſingulari diligentia, una cum quodam parvo dormitorio fabricaſti, ac fabricari feciſti, ac in dies fabricas & amplias: vitamque auſteram eremiticam per 20. annos vel circa & ſanctè & juſtè & religiosè vixiſti, ac de bono in melius ſemper perſeveraſti, &c.* Ubi ut vides 20. tantùm annos vitæ Eremiticæ ante ſuam conſtitutionem, & conſequenter ante fi-

nem anni 1471. ei tribuit. Inde verò legitimè inferri poteſt, nec plus ei tribuendum. Nam cùm ea Conſtitutio ſit prima & antiquiſſima omnium quæ in favorem Ordinis datæ ſint, & ipſe Pyrrhus Sanctum Patriarcham adeò notum haberet, ut ei in eodem diplomate dicat, *Nos verò qui ex vera ſcientia & experientia, jam longo & continuo tempore te cognoſcimus, &c.* Profectò liquet, in iis quæ ipſum ſpectant, plurimum fidei eis eſſe adhibendum. Igitur Sanctus non plus quam 20. annis ante finem prædicti anni 1471. ſolitudinem incoluerat: ergo in eam non ſeceſſit ante annum 1452. Ergo ejus Nativitas ad ſummum contigit anno 1437. finiente, aut 1438. inchoante.

Confirmatur argumentum, quia omnino credendum eſt ipſum in deſertum non conceſſiſſe, & habitum eremiticum non induiſſe abſque proprii ſui Epiſcopi licentia. Atqui eam licentiam non habuit ante annum 1452. ergo non eſt factus eremita ante illum annum. Major conſtat, quia nec Sanctus voluiſſet facere quidquam illicitum, quale eſt propriâ autoritate Monachum ſe facere; nec ſi voluiſſet, facilè à Rectore loci, ſeu Parocho fuiſſet toleratus. Minor verò probatur, quia nuſquam legitur habuiſſe ullam licentiam niſi à Pyrrho Archiepiſcopo ſupradicto. Ab eo autem

non habuit ante annum 1452. cùm is patruo ſuo Berardo in eo Epiſcopatu non ſucceſſerit niſi eo anno 1452. die 20. Decembris, ut teſtatur Ughellus tomo 9. Italiæ ſacræ. Ergo nullam habuit ermiticam vitam amplectendi licentiam & facultatem ante annum 1452. Ergo iterum non priùs illam amplexus eſt. Nec proinde ejus Natale ante annum 1437.aut 1438. eſt reponendum.

Hæc objectio eò difficilior videtur, quò nititur autoritate antiſtitis erga Sanctum optimè affecti quique illum & probè noverat, & familiariter adhibebat. Verùm non adeò urget ut nos cogat à ſententia tot annorum univerſali traditione firmata diſcedere. Itaque conceſſa majori primi argumenti, nego minorem: quòd videlicet Sanctus non anno 1430. ſed anno tantùm 1452. in ſolitudinem ſecedere potuerit. Ad ejus probationem concedo iterum majorem, & nego abſolutè minorem. Imo anno illo 1471. jam per annos 41. vel 42. vitam eremiticam duxerat.

Ad probationem hujus minoris ductam ex verbis Conſtitutionis Pyrrhi: Reſpondeo primò eam inde fallacem conjici poſſe, quòd cùm ea conſtitutio à R.P. Gaſpare Paſſarello 23. Ordinis Generali an. 1571. primùm edita referatur, & ab omnibus deinceps Ordinis ſcriptoribus lecta, verſata,

& examinata fuerit, nullus interim eorum differenter à nobis sensit circa annum quo Sanctus in solitudinem se recepit: quin potiùs omnes eum secessum anno Ætatis illius 14. factum, ad annum 1430. retulerunt. Quis enim ex eo non colligat nihil esse in illa Constitutione quod, si bene intelligatur, nostræ sententiæ contrarium sit?

Respondeo secundò, Archiepiscopum illum cum ait Beatissimum Patriarcham per 20. annos vel circa, vitam austeram & eremiticam sanctè, justè & religiose vixisse, non esse intelligendum exclusivè & universaliter, quasi velit illum non plus quàm 20. annis fuisse Eremitam, seu 20. annos esse totum tempus commorationis ejus in Eremo: sed intelligendum præcisivè, & cùm limitatione ad tempus quo ille sub ejus Episcopatu, & ex ejus licentia & autoritate vitam eremiticam tunc exercuerat, quòd erat 20. propè annorum, ut patet ex Epocha, creationis & consecrationis ipsius ex Ughello superiùs relata. Neque id mirum videri debet. Nam imprimis fieri potest ut Archiepiscopus discutere noluerit, an, aut quâ autoritate Sanctus ante diem suæ promotionis vitam illam fuisset amplexus; aut quomodo in ea vixisset, sed ab eo præscindere & solùm ad id attendere, illudque in suo diplomate commemorare quòd ex faculta-

Digitized by Google

te à se data, & ex sua scientia factum fuerat. Deinde fieri etiam potest ut ejus Secretarius cùm constitutionem composuit, non haberet præ oculis nisi registrum sui Archiepiscopi, in quo licentia Sancto data, seu potiùs prorogata, pro eremo incolendo, ad illud ipsum promotionis tempus, annum videlicet 1452. consignata esset. Aut etiam ut definitum annorum numerum quos Sanctus in solitudine exegerat, ignorans, nec diligentiùs inquirere volens, ad epocham creationis & consecrationis sui Prælati se se limitaverit. Certè non sine causa Secretarius ille alicujus incuriæ aut negligentiæ insimulari potest : cùm enim constet Paulum II. summum Pontificem 25. Julii, anni 1471. obiisse, & Sixtum IV. 9. Augusti, ejusdem anni, in ipsius locum esse suffectum ; ille nihilominus diploma Archiepiscopi die 30. Novembris sequentis consignans, ait illud esse datum sub Pontificatu Sanctissimi in C. P. & D. N. D. Pauli Papæ II. hominis nempe plus quam à 4. mensibus defuncti, & ab eodem fere tempore successorem habentis. Quod mirum esset si in urbe Italiæ Archiepiscopali nondum fuisset publicatum.

Igitur ex illa Constitutione inferri quidem potest, Sanctum ab initio Episcopatus Pyrrhi & deinceps eremum incoluisse, atque

in illo ſanctè & religiosè vixiſſe : ſed non poteſt concludi ipſum ante illud initium in ſolitudine non fuiſſe, & 20. tantùm anno vel circiter ante dictam conſtitutionem in eam ſeceſſiſſe : quod tamen erat probandum.

Juvat noſtram reſponſionem primò, quod ex contextu & terminis ipſius diplomatis ſatis apparet Pyrrhum non loqui de vita eremitica quam Sanctus ab anno 13. ad 19. aut 20. ſolus ſine ſocio, ſine teſte, ſub aſpera rupe duxerat, ſed de illa quam aſcitis in ſocietatem fratribus, ædificatoque parvo cœnobio, quod etiam eremitorium vocabatur, ſicut & religioſi dicebantur Eremitæ, continuaverat. Id enim ſignificant hæc verba. *Tu qui dictum Oratorium ſeu Eccleſiam, cum ſingulari diligentia, una cum quodam parvo dormitorio fabricaſti ac fabricari feciſti, ac in dies fabricas & amplias, vitamque auſteram eremiticam per 20. annos vel circa, & ſanctè, & juſtè, & religiosè vixiſti, &c.* Quippe hæc poſterior pars cum priori connexionem habet, & ad eam refertur. Et certè ſi Pyrrhus ad puerilem illam Sancti ſolitudinem reſpexiſſet, debuiſſet illam diſtinctiùs deſignare utpote quæ ad ipſius commendationem ſummopere pertineret. Quod cùm non fecerit, exiſtimandum eſt illum ad hoc vitæ eremiticæ tempus in ſuo diplomate non attendiſſe,

Digitized by Google

attendisse, sed ad illud solùm quo Sanctus sub ejus autoritate in Conventuali Eremitorio solitudinem coluerat.

Juvat secundò, quod ex gratiis & privilegiis eâdem Constitutione concessis facilè colligi potest eumdem Antistitem non alloqui juvenem 34. annos solùm habentem, sed virum jam ætate gravem, & plusquàm quinquagenarium: Ut qui illum instituat in Fundatorem, Legislatorem, ac perpetuum Superiorem Ordinis novi undequaque dissseminandi qui eum à sua, & omnium Ecclesiarum sibi subjectarum Jurisdictione & superioritate penitus absolvat, liberetque, ac sub immediata Sanctæ, sedis Apostolicæ potestate & directione totaliter constituat; qui ipsi, ejusque sociis ejusdem immunitates, libertates, exemptiones, gratias & privilegia tribuat, quibus quatuor Ordines mendicantes jam tùm adeò celebres, totoque orbe diffusi fruebantur; qui tandem sacerdotibus ab eo deputandis non solùm confessiones audiendi, sed & ab omnibus casibus, censuris, & irregularitatibus etiam sibi reservatis, absolvendi, aut dispensandi, ac quæcumque vota commutandi, aut relaxandi concedat facultatem. Quis enim putet Antistitem sapientissimum homini adeo juveni, & nondum per plurium Conventuum fundationem & gubernationem, ut

vult adverſarius, probato, etſi miracula facienti, tanta conceſſurum? Quod ſi tunc Sanctus 34. Ætatis annum exceſſerat; ergo an. 1451. ſeu 20. annis antea, quatuordecim annis major erat: ergo non tunc primùm in Eremum conceſſit, cùm ſupponatur anno 14. factus eſſe Eremita.

Ad confirmationem reſpondeo mihi nullo modo dubium eſſe quin Sanctus ex alicujus Superioris licentia vitam eremiticam ſit aggreſſus, ejuſque habitum induerit: ſed ſicut neſcimus à quibus Superioribus vel S. Benedictus, vel innumerabiles alii ſæculi deſertores ſimilem copiam obtinuerint, ita non conſtat quonam Superiore concedente Sanctus ille noſter factus ſit Eremita. Certe non Pyrrho illo Archiepiſcopo Coſentino; nam cum is nonniſi ſub finem an. 1452. Archiepiſcopale onus ſuſceperit, nec credi poſſit puero tredecenni facilè & abſque maturo, longoque examine conceſſurus facultatem vivendi ſolitariè, & ſine ullo cum hominibus commercio, certè eam dare non potuiſſet ante annum 1453. jam magna ex parte dilapſum aut annum 1454. quod eſt contra ipſum adverſarii computum, & contra plures miraculorum teſtes infra citandos. Igitur vel ex conceſſione Berardi ipſius Pyrrhi prædeceſſoris ac patrui, qui ab anno 1424. ſederat: vel ſi

malis, ex ſimplici licentia Rectoris Eccleſiæ Parochialis Paulæ, aut Archipreſbyteri in eadem urbe, juxta teſtem 32. proceſſus Cozentini, reſidentis, quibus fortè Archiepiſcopus poteſtatem dederat eos quos à Deo vocatos noſſent, ad vitam eremiticam quæ tunc communior erat, recipiendi. Nec huic obſtat quòd nulla ejuſmodi conceſſionis memoria relicta ſit; nam vel merè verbalis fuit, vel ſi ſcripto tradita, facilè in Eremo, nemine de chartis, tabuliſque tunc ſollicito, interire potuit. Certè vult ipſe adverſarius talem conceſſionem à Pyrrho datam, nec tamen ullum apparet ipſius veſtigium: nec eam Pyrrhus in ſuo diplomate ſe dediſſe teſtatur, etſi de alia conceſſione, Eccleſiam ſc. ædificandi, mentionem faciat. Quid plura? nemo neſcit obſcura eſſe & ignota rerum præclariorum, ſicut & majorum fluminum initia; & ita iniquum eſſet omnium quæ in Ordinum principiis datæ ſunt facultatum, demonſtrationem exigere.

Concludamus itaque ſanctiſſimum Patriarcham in Eremum ſeceſſiſſe, non ex Pyrrhi licentia, quam nec Pyrrhus ipſe in ſua conſtitutione ſibi vindicat: ſed alicujus Superioris eo antiquioris, nec anno 1452. ſed annis viginti duobus priùs, hoc eſt anno 1430. cùm ab anno 1416. quatuorde-

Digitized by Google

cim jam annos vixiſſet. Jam tertiam objectionem proponamus.

Caput XI.

Solvitur tertia objectio petita ex anno quo Sanctus Conventum Paulanum inchoavit.

CONVENIT inter omnes ſcriptores Conventum Paulanum anno Ætatis Sanctiſſimi Patriarchæ circiter decimo nono cœptum eſſe: cùm enim multi ex ejus vicinia mirabili virtutum illius exemplo, & maximis quæ per eum Deus operabatur miraculis illecti, in ejus contubernium admitti ſe flagitarent, non potuit juvenis eximiæ ſeu potius immenſæ Charitatis hanc eis gratiam diutius denegare : præſertim cum Spiritus Sanctus interna eum inſpiratione, ad ponenda Ordinis, ut ita dicam, Quadrageſimalis fundamenta, impelleret, urgeretque. Igitur pro illis excipiendis primum illud cœnobium tunc inchoatum eſt.

Id præſertim habemus ex teſte ſexto proceſſus Coſentini de quo ſuperiùs, qui poſtquam ſeceſſum Sancti in deſertum deſcripſit, quem capite præcedenti anno illius 14. contigiſſe diximus, ſubjungit. *Inde ad quatuor aut quinque annos cæpit veſtire fratres illo habitu quem ipſe gerebat, docens eos vivere*

honestè & sanctè, & observare vitam Quadragesimalem. Verum est testem illum satis confusè loqui tum de illo secessu, tum etiam de dicti Conventus ædificatione. Ait enim, *cùm esset Ætatis* 14. *annorum, cœpit ædificare Monasterium, distans à dicta terra Paulæ circiter unum milliare, quod Monasterium cum Ecclesia est ornatum & magnum, fecitque illud absque aliquo auxilio, præterquam illorum qui devotionis causa ad illum concurrebant, cum quibus illud elaboravit.* Hic enim tria vel quatuor tempora plurimum distantia simul jungit; primum quo Sanctus in eremum profugus, reperto ligone terram cœpit effodere, & parvam pauperi corpusculo suo mansiunculam fecit, ut habet discipulus ei coævus in ejus vita, cap. 1. Secundum, quo cum suorum parentum auxilio exiguum Sacellum, cum una, tribusve cellulis, anno 19. ædificavit. Tertium, quo apparente & instigante S. Francisco Assisiate maius Oratorium construxit. Quartum denique, quo ultimam Conventus Ecclesiam, Pyrrho primum lapidem ponente, à fundamentis erexit, ut statim distinctè explicabimus: quâ etiam confusione plerique alii scriptores brevitati nimium studentes, vel defectu instrumentorum non satis instructi, laborant.

Interim ex illius testis depositione satis

Digitized by Google

evidens est Sanctum versus annum Ætatis 19. fratres in suam Societatem collegisse, & ita tum Conventum Paulanum, tum suum Minimorum Ordinem, in primario veluti semine inchoasse.

Ex hoc verò eruditissimus Adversarius novum argumentum elicit quo probet eum non anno ut diximus 1416. sed anno ad summum 1437. aut 1438. in lucem esse editum. Quod quidem eò lubentius proponam, quò maxime deserviet ad elucidanda Ordinis nostri adhuc nascentis primordia sic autem se habet. Cùm supponatur Sanctus Conventus Paulani fundamenta jecisse anno Ætatis 19. ut dicatur natus an. 1416. debet etiam dici prædictum Conventum incœpisse anno 1435. quippe inter illos terminos currunt anni 19. atqui nullo modo dici potest B. Franciscus anno 1435. Conventum Paulanum incœpisse, quin imo hæc erectio ad annum usque 1457. necessariò differri debet. Ergo non est natus anno 1416. Sed potius anno 1437. à quo finito ad annum 1457. numerantur anni 19. major clara est, & solo computo probanda.

Minor ostenditur 1. quia certum est Conventum illum Paulanum cœptum esse autoritate Pyrrhi supra-dicti, Archiepiscopi Cozentini. Nam imprimis id ipse declarat in sua constitutione anni 1471. dum ait. *Du-*

dum ad tuæ ſupplicationis inſtantiam, ſuper finibus & poſſe dictæ terræ Paulæ, quoddam Oratorium ſeu Eccleſiam, ſub vocabulo ſancti Franciſci, per te erigi fecimus, in quo divina officia audire, & Eccleſiaſtica Sacramenta, recipere, ac orare poſſes. Deinde idem teſtatur Sixtus Papa quartus, In Bulla ad Epiſcopum S. Marci, pro examine privilegiorum Beato Patri à Pyrrho conceſſorum, directa; & anno 1473. notata. Sic enim habet. *Exhibita nobis nuper, pro parte dilecti Filii Franciſci de Paula Eremitæ Conſentinenſis Diœceſis, petitio continebat; quod dudum, poſtquam venerabilis frater noſter Pyrrhus Archiepiſcopus Coſenſinus, ſibi ut quoddam Oratorium, ſive Eccleſiam, ſub vocabulo ſancti Franciſci, in tenimento de Paula prædictæ Diœceſis ædificare poſſet, licentiam conceſſerat; præfatus Franciſcus Oratorium hujuſmodi, propriis manibus & expenſis, cum dormitorio, pro uſu & habitatione ſua, & ſuorum, pro magna parte ædificavit, & nonnullos ſocios vitam Eremiticam ducentes recepit, &c.* Tertiò, idem confirmat prædictus Pontifex, in alia Bulla anni 1474. ad ipſum Beatum Patrem, & ejus ſocios Eremitas inſcripta: his videlicet verbis. *Expoſito nobis, quod olim poſtquam venerabilis Frater noſter Pyrrhus Archiepiſcopus Conſentinus tibi, ut quoddam Oratorium ſive Eccleſiam ..... ædificare poſſes, licentiam con-*

cesserat, ut Oratorium hujusmodi .... ædificaveras, & nonnullos socios .... receperas, &c. Quartò idipsum inde colligitur, quod nusquam legitur ab alio quàm à Pyrrho ædificandi Oratorii & Conventus data Sancto licentia: & omnes Ordinis scriptores ad eum referunt Religionis nostræ primordia, ut inter alios Victonius noster in vita Sancti latina cap. 5. ubi hic habetur. *Tum primùm de Pyrrhi Cosentini Archiepiscopi consensu Fratres in Sancti Viri contubernium cooptati, & cœnobium institutum.* Quæ omnia clare demonstrant non priùs extructum Monasterium, non priùs fratres in societatem admissos, quàm Pyrrhus licentiam concesserit: ac utrumque ejus autoritate esse factum. Atqui Pyrrhus hanc condendi cœnobii facultatem concedere non potuit anno 1435. imo nec ante annum 1452. ut qui hoc tantùm anno, ac sub finem illius, ut dictum est, ad eam sedem sit assumptus. Ergo nullo modo dici potest B. Franciscus anno 1435. Conventum Paulanum incœpisse: sed hæc fundatio in annos sequentes necessariò rejicienda est.

Ostenditur secundò, quia de tempore fundationis seu ædificii Conventus Paulani judicandum est, ex data miraculorum in ejus constructione factorum: quippe in processibus tam Consentino, quàm majori Ca-

labrico, censentur miracula non solùm quæ in decursu, sed etiam quæ initio illius constructionis à Sancto sunt edita. Atqui in illis miraculis nullum est cujus tempus notetur supra annum 1457. aut 1456. multò minùs quod ad annum vel 1450. vel 1445. vel 1440. vel 1435. referatur. Testes enim qui deponebant anno 1512. & quatuor aliis sequentibus ad summum notant elapsos esse à tempore miraculi ad suam depositionem 55. annos, quod nos ducit ad annum 1457. & non ultra. Ergo repugnat ponere fundationem dicti Conventus Paulani, anno 1435. atque etiam, ante annum 1456. Et certe aliàs oporteret Sanctum vixisse in Conventu cum fratribus per totos viginti annos absque ullis miraculis quorum memoria ad nos pervenerit, cum ea omnia quæ in illius vitæ processibus, & historiis referuntur sint anno 1455. recentiora. Atque hoc est contra omnium hominum sententiam, qui eum nobis exhibent, ut à puero & per totum vitæ tempus innumeris miraculis coruscantem. Ergo iterum figi non potest fundatio Conventus Paulani in anno 1435.

Ostenditur tertiò, quia eo tempore consignandum est Conventus Paulani ædificium, quo Sanctus cœpit in Calabria virtutibus & miraculis clarescere. Hæc enim

fama est quæ illi socios & institutæ pœnitentiæ imitatores conciliavit. Atqui non anno 1435. sed ad summum anno 1456. aut 1457. ita clarescere cœpit. Nam cives Altilienses numero 44. scribentes ad Leonem X. summum Pontificem pro obtinenda ipsius Canonizatione, sub data decimæ Januarii an. 1517. dicunt agi sexagesimum annum, quod maxima fama semper fuit de illius sanctitate & de miraculis quæ faciebat. Atqui sexaginta illi anni supra annum 1517. non ducunt ad annum 1435. sed solùm ad annum 1457. ergo tunc solùm cœpit illius fama per totam Provinciam diffundi; & consequenter ad eum tantùm annum referenda est Conventus Paulani fundatio, quæ est minor probanda.

Hoc argumentum, fateor, difficile est: sed cùm in æquivoco laboret, sublatâ æquivocatione veritatem faciet planiorem ac illustriorem. Igitur concessâ majori, nego minorem, quod videlicet prima inchoatio Oratorii & Conventus Paulani ad annum 1435. referri non possit, sed necessariò ad annum 1457. sit revocanda, quin imo omnes autores nostri quos superiùs recensuimus, eo in anno, nempe 1435. tam dicti Conventus, quàm Ordinis nostri primordia constituunt. Et idem faciunt ex externis qui res nostras penitiùs explorare satege-

runt. Scio plures ex illis, ut ait Barbosa, de jure Ecclesiastico lib. 1. c. 4. num. 188. ordinis Minimorum institutionem reponere in anno 1473. sed loquuntur de institutione per approbationem & Bullam summi Pontificis: quæ ante istum annum à Beatissimo Patriarcha non est obtenta, nec petita: non verò loquuntur de prima inchoatione, per rudiorem illam dicti Conventus originem.

Omnes minoris probationes procedunt ex inconsiderantia modi quo Conventus ille Paulanus, & ipse ordo cœpit, profecit, & ad perfectionem perductus est. Ut ergo clarè illis satisfiat, operæ pretium est hanc nostræ historiæ partem pauló distinctiùs, quàm à plerisque hactenus factum sit, enodare.

Notandum igitur primò, quod licet dicamus Sanctum anno Ætatis decimo nono fratres in suum contubernium admisisse, & iis excipiendis Conventui Paulano dedisse initium, non intendimus tamen tunc cœptam esse Conventus regularis ex Ecclesia Claustro ac dormitorio constantis fabricam; quin imo primo illo tempore extructum est tantum exiguum hospitium ac eremitorium paucorum hominum collectioni potiùs quàm commodæ habitationi conveniens: utpote qui pro vitæ eremiticæ in-

stituto ad nemoris abdita se reciperent, & in iis solitariè orare, corpusque affligere soliti essent. Id clarè habetur ex depositione nobilis viri Antonii de Jerane de Felline Diœcesis Consentiensis, qui in Gallias peregrinatus ab Episcopo Ambianensi, ut superiùs dictum est, pro Sancti Canonizatione examinatus est, & auditus; referturque ut testis 118. in majori processu Calabrico. Is enim de Sancti vita & moribus depositurus, imprimis dicit, se à quamplurimis fide dignissimis accepisse Franciscum de Paula à teneris annis patrem matrem & consanguineos reliquisse, & loca deserta petiisse, in quibus subtus non parum ingentem rupem, quamdam speluncam per longum temporis intervallum, mundanos & eorum conversationem summopere aspernando, ac suum corpus solo herbarum victu macerando, habitavit. Subdit deinde, eumdem Franciscum, divinâ, ut fertur, providentiâ inspiratum, postquam multis diebus suum corpus in prædicta spelunca maceravit, deliberasse aliquando ad ejus pedes ædificare quamdam domum mediocris habitationis, cum certis fratribus conversis, qui cum eo occasione benemeritorum ejusdem se adjunxerant, vitamque illam ereπmiticam ducebant. Tum addit, quod tandem idem de Paula prospiciens nonnullos

mortales secundùm ejus lineamenta & austeritatem, flendo peccata, ex Spiritus Sancti gratia vivere volentes cœpit construere Monasterium quoddam, quod nuncupavit, Ecclesiam JESU MARIÆ. Quibus in verbis, vides primò speluncam à Sancto habitatam, cùm omnino solitarius esset, quod ab anno Ætatis ejus 14. ad 19. duravit. Inde in ejus societatem quosdam Conversos & Eremitas esse admissos, quod anno illo 19. aut circiter contigit, postea nondum quidem Conventum regularem & propriè dictum, sed angustam domum, prout Eremitoria esse solent, iis excipiendis & velut aprico donandis esse extructam. Denique ad perfectum monasterium ædificandum deventum esse. Porro in extructione illius domus præfati Conventus incunabula reponenda sunt.

De eodem exiguo hospitio primùm omnium constructo fidem pariter facit testis 58. processus Consentini: quippe qui inter alia deponit se aliquando ad F. Franciscum de Paula visendi illius gratia accessisse, cùm nondum ædificata esset Ecclesia, sed sola ibi esset cella, in qua ipse habitabat. Eumdem enim esse locum quem iste cellam, Antonius verò de Jerane statim citatus domum mediocrem appellat, omnino probabile est. Clariùs verò id ipsum ad-

Digitized by Google

ſtruit diſcipulus ille coævus toties à nobis laudatus, in vita Sancti, cap. 1. Sic enim ait. *Cum bonus Pater jam conſtitutum haberet vitam ſolitariam ducere, contulit ſe ad quemdam paternæ poſſeſſionis locum, ſeſqui-milliario circiter ad urbe Paulana diſtantem, ibique manſit aliquamdiu, neceſſarium & victum ſubminiſtrantibus patre ac matre. Verùm frequentiâ illuc ultro, citroque commeantium impediri ſe ſentiens, quominus Deo attentè ſerviret, receſſit inde ad alium prorſus ſolitarium locum, à quadam ſua conſanguinea ſibi conceſſum, ubi cum ligonem reperiſſet, cœpit terram effodere, & parvam pauperi corpuſculo ſuo manſiunculam fecit. Deinde ædificavit ibi pulchrum ſacellum cum tribus cellulis, & longo tempore in eo ſe continuit loco, abſque habitatione alia, vacans jejuniis, orationibus & pœnitentiis.* Ubi facile eſt diſtinguere, primò manſiunculam in cavitate ſaxi montiſque ligone effoſſam, in quâ ſolus, ſolitariuſque ſtetit. Secundò, domum ex ſacello ac tribus cellulis compoſitam, in qua primi ejus ſodales habitarunt. Nec putet hunc diſcipulum à teſte 58. diſcordare, dum hic unam cellam, ille tres cellulas memorat: nam fieri poteſt ut una cella triplex fuerit, hoc eſt tres diſtinctas cameras, tria-ve cœnacula comprehenderit.

Notandum eſt ſecundò ipſum-met Con-

ventum proprie dictum non brevi tempore, sed multorum annorum ſpatio eſſe ædificatum. Nam ut demus eum non eſſe inchoatum niſi anno 1450. ut ſentire videtur Hieronymus Platus lib. 2. de bono ſtatus religioſi c. 22. aut anno 1453. brevi ſcilicet poſt conſecrationem Pyrrhi in Archiepiſcopum, ut conjicere quis poſſet ex terminis conſtitutionis ejus ſupra memoratæ. Aut etiam anno 1457. ut vult doctiſſimus Adverſarius, interim neceſſariò fatendum eſt non minùs quàm per 16. annos illius fabricæ eſſe inſudatum. Quippe Sixtus IV. ſummus Pontifex in ſua Bulla ad Epiſcopum ſancti Marci anno 1473. directa, teſtatur ſibi ab ipſo Franciſco de Paula, ejuſque Eremitis eſſe expoſitum, ſuum Oratorium ſeu Eremitorium nondum pro ſufficienti ipſorum habitatione perfectum eſſe, ſed adhuc ex piis Chriſti Fidelium eleemoſinis cum dormitorio & aliis neceſſariis officinis, continuò ædificari, ampliari, & exornari. Quod ſi ita eſt, oportet ipſius ædificationem duraſſe ad minus ab anno 1457. ad annum 1474. quod 17. annos complectitur, & inde nemini mirum videri debet ſi miracula in illa ædificatione facta notas temporarias adeò diſtantes nonnunquam habeant.

Notandum eſt tertiò, plura etiam Orato-

Digitized by Google

ratum esse, portando facillimè in humeris lapidem prægrandem sibi à dicto Francisco post signum crucis impositum, quem vix tres homines de terra sublevare potuissent.

Ea est etiam, quam juxta testem 37. ejusdem processus, & Bullam Canonizationis, Religiosus quidam in habitu S. Francisci Assisiatis apparens, & forte ipse S. Franciscus, jussit fieri prima figuratione ampliorem. Si quidem testis ille assignans tempus ejusmodi apparitionis, ac proinde ipsius ædificationis, dicit eam evenisse 60. an. vel circa antequam deponeret, quod nos ducit ad annum 1452. vel 1453.

Ea est iterum in qua juxta testes 7. & 9. ejusdem adhuc processus, lampas absque igne miraculosè accensa est. Nam prior testis declarat etiam id contigisse 60. annis ante suam depositionem, vel circa: posterior autem 55. annis vel circa, quod cadere potest in annum 1454. aut 1455.

Ea est denique, in qua secundùm depositionem testis 32. ejusdem pariter processus, palumbes pro componendo pharmaco diu desideratus ad pedes Sancti ibi deambulantis miraculosè adductus est. *Cùm*, inquit ille, *aves in Monasterio*, ut solùm inchoato, *nondum nidificare possent*. Quippe pro tempore assignat annum 55. vel circa

Digitized by Google

ante dictum processum, qui proinde est annus 1457. aut alius ei vicinus.

Tertiò tandem, cùm hæc ipsa Ecclesia adhuc angustior & nimis rustica videretur, aut certè in loco commodo sita non esset, circa annum 1468. de alia augustiori ædificanda cogitatum est, & hujus meminit Archiepiscopus Pyrrhus apud testem 57. dicti processus Cozentini. Cùm enim Cubicularius à Paulo Papa II. ad B. P. Franciscum missus pro examinanda illius vita & miraculis, referret Archiepiscopo quomodo Sanctus in sua præsentia prunas nudis manibus absque ulla læsione pressisset, sibique sui sacerdotii tempus quod à solo Deo didicisse poterat, declarasset: Respondit Archiepiscopus, *Ego volo ad eum accedere, & ponere primum lapidem in Ecclesia sua quam vult inchoare, quia me invitavit?* Id autem contigit ex illo teste 45. annis, vel circa, ante suam depositionem, quod juxta fidele computum, ad annum 1467. aut 1468. ascendit. Ergo primus illius Ecclesiæ lapis eo tantum tempore positus est: & ita hæc Ecclesia non incœpit nisi circa annum 1468. Inde verò manifestum est ipsam non esse eamdem cum illa quam statim memoravimus, & de qua testes 7. 9. 32. 37. & 58. supra relati loquuntur cùm tempora ædificationis utriusque adeò distent: & una

ſecundùm notas temporarias illorum teſtium non minùs quam 12. aut 14. annis præceſſerit alteram.

Et certè quis putet cum Cubicularius ille à ſummo Pontifice Roma in Calabriam miſſus eſt ob famam admirabilis ſanctitatis & innumerabilium miraculorum beatiſſimi Patriarchæ totâ jam Europâ pervolantem, ipſum non habuiſſe Eccleſiam in qua divina officia ſtatis horis concinerentur, & incruentum miſſæ ſacrificium celebraretur? Quis putet ejus religioſos neceſſe tunc habuiſſe ad proximam parœciam recurrere pro ſacramentis, tum in ſanitate, tum in ægritudine recipiendis? Igitur Eccleſiam habebat, ſed adhuc rudiorem, nec ſatis majori conventui quem ſubinde meditatus eſt proportionatam. Unde neceſſe fuit novam condere, cujus primum lapidem ponere optimus Archiepiſcopus Pyrrhus non recuſavit.

Nec obſtat prædictis, quod diſcipulus coætaneus ſtatim poſt exigui ſacelli, & trium cellularum commemorationem, dicat; *Multi igitur ſancta Franciſci converſatione auditâ, nuntium ſæculo remiſere, ipſi adhærere, & vitam ſolitariam ducere cupientes: quibus excipiendis primus Conventus Paulanus ædificari cœpit, multum adjuvante, & confortante bono Epiſcopo Cozentino, qui ipſemet pri-*

Digitized by Google

mum posuit in fundamento lapidem, crucemque in loco solemniter collocavit. Ubi Ecclesiam, cujus Pyrrhus primum lapidem posuit, jungit immediatè sacello anno Sancti 19. aut 20. ædificato. Neque etiam obstat, quod Bulla Canonizationis, recensita peregrinatione ejusdem ad sanctum Franciscum de Assisio, & ad sanctam Mariam de Angelis, sine ulla intercapedine subjungat, *Quibus Ecclesiis devotè visitatis, in patriam reversus, ad Ecclesiam construendam animum addixit, ipseque primus fundamenta effodere cœpit; quo inter vicinos devulgato, undique ad opus juvandum concurritur.* Post quæ statim addit jussionem à S. Francisco de Assisio, ex improviso apparente, factam, de muris jam inchoatis demoliendis, & de facienda Ecclesia illa majori & ampliori: & ingens auri argentique pondus postridie à nobili quodam Cusentino allatum, ad eamdem fabricam augendam & promovendam. Quibus verbis eamdem Ecclesiam, ut primam omnium quæ ædificatæ fuerint; & etiam ut ultimam proponere videtur.

Hæc, inquam, non obstant. Sic enim loquuntur illi autores, non quòd probatam à nobis ædificiorum successionem inficiari velint, sed quòd compendio scriptoribus historiarum, tam sacris quam profanis satis usitato, utantur; quo videlicet præter-

Digitized by Google

missis nonnullis interjectis, res inter se distantes brevitatis causâ junguntur, & una serie, unoque veluti filo proponuntur. Et certè id ipse adversarius agnoscere cogitur, quandoquidem fatetur Ecclesiam cujus Pyrrhus lapidem primum posuit non statim post fratrum congregationem, sed plusquam 11. annis postea, anno sc. 1468. esse ædificatam: Et adhuc lubentiùs admittit Sanctum non continuò postquam ex peregrinatione ad sanctam Mariam Angelorum rediit, anno videlicet Ætatis 14. ædificationi Conventus & Ecclesiæ animum intendisse, sed solum post plures annos solitudinis. Et tamen si tam discipulus ille coætaneus quâm Bulla Canonizationis ad rigidam litteræ rationem explicari deberent, necessariò dicendum esset, nullam in his moram fuisse, sed statim ac Sanctus in eremum secessit, agente, & primum lapidem ponente Pyrrho, perfectum ejus monasterium cum majori Ecclesia esse incœptum. Illi igitur autores benignè interpretandi sunt, & prout ex aliis depositionibus & instrumentis rem successivè factam esse deprehendimus.

Ex his porro omnibus jam manifestum est, ædificium Paulanum qualecumque ante annum 1457. esse incœptum, & proinde nec annum Ætatis sancti decimum no-

num, nec Conventus Paulæ initia ad eam epocham esse referenda. Sed & inde facilè satisfieri potest ad omnes probationes minoris supra allatas & expositas.

Ad primam itaque, distinguo majorem: Conventus Paulanus cœptus est autoritate Pyrrhi Archiepiscopi Consentini; Conventus Paulanus sumptus pro majori Monasterio; concedo. Conventus Paulanus sumptus pro primo hospitio seu eremitorio; nego. Imo istud eremitorium cœptum est pluribus annis antequam Pyrrhus Cathedram Consentinam ascenderet.

Ad tres priores probationes istius majoris, Respondeo pariter, autoritates illas sive ejusdem Pyrrhi, sive Sixti IV. Pontificis maximi non esse intelligendas, de primo hospitio, primo-ve oratorio seu sacello à Beatissimo Patriarcha ædificatis, sed de Conventu propriè dicto, ac de secunda saltem Ecclesia, qui versus annum 1454. fundati sunt. Nec mirum si de illis solis tam constitutio Archiepiscopalis, quàm Bullæ Pontificiæ loquutæ sunt: nam id inde factum est, quod initia quæ præcesserant nimis exigua erant, ut commemorarentur, præsertim postquam sub autoritate, protectione, & auxilio Pyrrhi maximum incrementum acceperant.

Ad quartam verò ejusdem majoris pro-

bationem respondeo, nec ipsam ædificandi Monasterii licentiam à Pyrrho datam usquam legi aut reperiri, sive quòd solùm verbalis exiterit, sive quòd temporum injuriâ, aut religiosorum incuriâ amissa fuerit. Igitur ex eo quod non reperiatur, nec usquam legatur licentia data à Beraldo Pyrrhi prædecessore; aut ab alio, pro construendo exiguo eremitorio & Conversis in eo associandis, non sequitur quòd nulla fuerit: maximè cum post longè ampliores tam Pyrrhi, quàm Sixti IV. concessiones, illa negligi, & ut inutilis seponi potuerit. Porro autores nostri ut plurimum, Ordinis primordia ad Pyrrhum referunt sive quia loquuntur de iis primordiis quæ habuit cum major Conventus ædificari cœpit. Sive quia ex ipsius Pyrrhi constitutione decepti, putarunt eum ab anno 1435. in cathedra Consentiensi sedisse: quod Victonio nostro, etsi perspicacissimo, accidit. At inde nullum veritati detrimentum advenire debet.

Ad secundam ejusdem minoris probationem distinguo pariter majorem, de tempore ædificii Conventus Paulani judicandum est ex data miraculorum in ejus constructione factorum; Conventus Paulani sumpti pro majori Monasterio, Concedo. Sumpti pro primo hospitio seu eremitorio, Ne-

go. Nam miracula quæ in processibus Cozentino & Calabrico distinctim referuntur, notisque temporariis consignantur, notant quidem tempus majoris illius ædificii, sed non absolutè tempus, quo Sanctus fratres in eremitorium suscepit. Ad minorem, Respondeo non usquequaque verum esse nulla in iis processibus miracula signari supra annum 1457. Nam & miraculum apparitionis S. Francisci de Assisio, & miraculum lampadis miraculosè accensæ, vetustiori notâ imprimuntur, ut in tertio notabili diximus. Ad confirmationem respondeo, non inde sequi nulla miracula à Sancto antiquiùs esse facta: quippe multa sunt quorum tempus non designatur, quæ possunt intelligi facta dum Sanctus adhuc in exiguo eremitorio versaretur. Nemini autem mirum esse debet si adeò in particulari non referantur: cùm ob temporis antiquitatem jam eorum testes defuncti essent. Propter quod cives Catacenses ad Leonem X. summum Pontificem pro Sancti Canonizatione an. 1516. scribentes, dicunt: *Multa alia miracula probari poterant, si eo tempore quo gesta sunt, testes fuissent examinati: nunc verò propter longitudinem temporis mortui sunt. Sicut & Domini & Magnates, qui ad eumdem B. Franciscum supplices recurrebant.*

Ad tertiam denique primariæ illius minoris probationem, Respondeo majorem ejus veram esse respective; in eo videlicet sensu, quod primi eremitorii primordia ei tempori consignari debeant, quo Sanctus cœpit in vicinia per aliqua miracula clarescere; majoris verò monasterii initia, ei tempori, quo jam Ætate gravior, per totam Calabriam, imo & Italiam, longè latéque divulgatus est. Minor vero absolute neganda est. Constat enim longe ante annum 1457. fuisse sacellum Paulanum, cum tribus cellulis, aut domo mediocris habitationis: quod sine illius celebritate & miraculis non est factum. Ad ejus probationem dicendum cives Altilienses non loqui de quacumque fama, sed de illa maxima quæ incœpto cum immensis miraculis majori Paulæ monasterio, per universam non Italiam modò, sed & Europam longè latéque diffusa est. Maximè cum ita dicant eam à sexaginta annis fuisse, ut non negent majorem ejus antiquitatem: & fortè hoc erat ultimum tempus memoria illorum, ut est cæterorum communiter hominum. His igitur, ut puto, abundè satisfactum est tertiæ illi objectioni quæ ex sola primordiorum Conventûs Paulani, totiusque Ordinis, obscuritate nasci potuit.

Restat addendum ex litteris à Beatissimo

Patriarcha conſcriptis argumentum elici poſſe ad probandum qualecumque Eremitorium Paulanum ante annum 1450. ædificatum eſſe. Et quidem ego nolim totam hanc Epiſtolarum Sancti Centuriam per R. P. Franciſcum à Longobardis an. 1655. publicæ luci datam approbare & à noſtrorum punctionibus cenſuriſque vindicare : quin potiùs eam ex magna parte reſpuendam arbitror : maximè poſtquam à ſacra Indicis Congregatione per decretum decimi Junii anni 1659. prohibita eſt, ut multa falſa, Apocrypha fictaque continens. Verùm quomodo ut ſpuriam rejiceremus ex illis litteris vigeſimam ſecundam ad D. Simonem de la Limena ſcriptam pro gratiis de quadam eleemoſyna ab eo miſſa referendis ? Certè R. P. Sebaſtianus Quinquet 48. Ordinis Generalis in Conventu noſtro Pariſienſi adhuc ſuperſtes, teſtatur illam à primogenito illius propaginis de la Limena, quæ eſt nobilis familia prope Altum-montem in Calabria, in Capſella argentea ſumma cum Religione tanquam pretioſiſſimam paternæ hereditatis prærogativam, conſervari : atque eamdem ad ſe à dicto primogenito 17. Febr. anni 1669. eſſe allatam, ſibique & ſociis devotiſſimè oſtenſam, dum Conventum Alti-montis, ut Generalis, viſitaret. Nec illud eſſe eò loci de illius veritate

ac de propria Sancti ſcriptura dubitationem.

Ex ea igitur littera, quæ forte fuit occaſio alias ſimiles confingendi apparere poteſt Conventum Paulanum anno 1450. aliquo modo extitiſſe: quandoquidem ejus data ſeu dies inſcripta hæc eſt. *De loco noſtro in Paula die 21. Martii anni* 1450. Interim de eo nunc argumento judicet quivis, ut voluerit: neque enim cauſæ noſtræ Patrocinium ab illius Epiſtolæ veritate, donec cum indubitatis Sancti chirographis collata fuerit, dependere ullatenus velim: non quòd antiquæ illi nobilis familiæ traditioni deferendum non putem, ſed quòd in his rebus quæ humana negotiatione plurimis falſitatibus obnoxiæ ſunt, omnimodam certitudinem requiram: erit forte aliquis qui hac admonitione permotus, ejuſmodi quam optamus, collationi operam citiùs impendere non gravabitur.

CAPUT XII.

Solvitur quarta objectio petita ex tempore fundationis quorumdam aliorum conventuum.

NEMO hactenus ſcripſit, putavitque Sanctum ad ſexageſimum uſque vitæ annum unum tantùm Conventum, nempe Paulanum ædificaſſe. Quin potiùs omnes

censent eum ante annum Ætatis 42. vel 43. saltem tres alios Conventus fundasse, videlicet Paternensem, & Spezanensem in Diœcesi Consentina, & Coriolanensem in Diœcesi Rossanensi: & quidem Paternensem fundatum esse volunt anno Ætatis illius 28. Spezanensem, anno 37. Coriolanensem verò anno 42. ita enim scribunt Lucas de Montoya & Lanovius in suis Chronicis, & Hilarion à Costa in tabula Chronographica, compendio vitæ Sancti præmissa.

Inde verò quartum argumentum desumi potest contra nos pro sententia doctissimi Papebrochii, in hunc modum. Supposita ea veritate, quòd Sanctus ante annum Ætatis 43. Religiosas Paternum, Spezanum, & Coriolanum duxerit Colonias, ibique Conventus extruxerit, ut censeatur natus anno 1416. necessarium est ipsum prædictas Colonias duxisse, eosque Conventus ædificasse ante annum 1459. si enim annis 1416. addas 43. conficies annos 1459. atqui illud nullo modo dici potest, quin imo Sanctus eas Colonias ducere non potuit ante annum 1475. ergo non est natus anno 1416. sed potius anno 1437. aut 1438. à quo ad annum 1475. currunt anni 38. Major est evidens, & per Arithmeticam additionis regulam facile demonstrari potest.

Minor probatur primò conjunctim de tribus illis coloniis seu Conventibus. Quia si Conventus illi fundati essent ante dictum annum 1475. jamque substitissent anno 1459. vel 1460. Certè cum Beatus Pater anno 1471. petiit Conventum Paulanum sibi suæque Congregationis fratribus in perpetuum concedi, atque ab omni alia jurisdictione & superioritate præterquam summi Pontificis in spiritualibus eximi & liberari: Idem postulasset pro aliis Conventibus jam fundatis & habitatis. Item, cum Pyrrhus Archiepiscopus Consentinus eodem anno illius supplicationi annuens prædictum Conventum cum generali illa exemptione ipsi donavit: non omisisset idem facere erga alios Conventus suæ Diœcesis jam ædificatos, & piâ eremitarum turbâ repletos. Idemque dicendum de Sixto quarto summo Pontifice, sive cum anno 1473. mandavit Episcopo S. Marci ut de illis donatione & exemptione diligentiùs inquireret: eas si æquitati consentaneæ forent, approbaturus: sive cum anno 1474. easdem ipse speciali constitutione multis etiam privilegiis additis approbavit, confirmavit & ratas habuit. Atqui nec Sanctus in sua supplicatione, nec Pyrrhus aut Sixtus IV. in suis constitutionibus, alterius Conventus meminere quam Paulani: nisi quod licentiam

conceduntalios in posterùm iisdem exemptionibus & privilegiis gavisuros, accipiendi & retinendi. Ergo dici non possunt alii fundati ante annum 1475. jamque substitisse anno 1459. vel 1460.

Major hujus argumenti videtur manifesta: quippe non solùm nulla erat ratio omittendi illos Conventus sive in supplicatione, sive in concessionibus, si reipsa erant constructi: sed etiam necesse erat ad eorum exemptionem ipsos distinctè exprimi & notari: aliàs enim dicere quis potuisset, Conventum quidem Paulanum esse exemptum, & alios post constitutiones extruendos fore exemptos: sed non eos qui præter Paulanum, ante ipsas constitutiones ædificati fuerant, utpote in illis non expressi & nominati.

Minor verò ex sola constitutionum lectione apparere potest. Nam imprimis in constitutione Pyrrhi: num. 1. Beati Patris supplicatio sic refertur. *Tu, & F. Balthazar sacerdos, cæterique clerici & laici sub habitu eremitico ibidem vitam ducentes, nobis humiliter supplicastis, ut dictum Oratorium, seu Ecclesiam S. Francisci, de Paula* (id est Paulæ constructam) *ab omni jurisdictione & superioritate matris Ecclesiæ terræ Paulæ, & ab omni alia jurisdictione & superioritate, etiam nostra, eximere & liberare, & sub protectione sedis*

Apostolicæ totaliter relaxare, dictumque Oratorium, seu Ecclesiam, una cum omnibus juribus & pertinentiis suis, tibi, tuæque congregationis Eremitis fratribus præsentibus & futuris, conferre, & in perpetuum concedere dignaremur. Ubi, ut vides, altum habetur de aliis Conventibus silentium. Deinde in eadem constitutione, num. 2. 9. & 12. Archiepiscopi concessio sic exprimitur. *Vestris justis & sanctis desideriis & supplicationibus annuentes & inclinati, hujusmodi Oratorium, sive Ecclesiam, una cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, tibi, tuæque congregationi in perpetuum damus. Loca, Oratoria quæcumque, & Ecclesias licitè accipiendi & retinendi potestatem facimus. Idem Oratorium sive Ecclesiam, ac alia quæcumque loca, Oratoria & Ecclesias per vos in posterum acquirenda, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, Eremitisque & personis, rebusque omnibus ad vos vestraque loca quomodolibet spectantibus, personisque hujusmodi inibi degentibus, ab omni jurisdictione subjectione & superioritate matrum Ecclesiarum ac nostra....... in perpetuum eximimus, & totaliter liberamus, &c.* Quibus verbis locum quidem Paulanum, & alia loca accipienda donat & eximit, sed non alia loca accepta, de quibus nequidem loquitur. Denique Sixtus IV. eadem fere refert, & dicit quæ Pyrrhus. Et sic patet nec Sanctum in sua supplicatione,

nec Pyrrhum, Sixtum-ve in ſuis diplomatibus alterius Conventus meminiſſe quam Paulani quæ eſt minor hic probanda: unde redimus ad minorem principalem: quod videlicet Conventus alii non ſunt fundati ante annum 1475. nec jam ſubſiſtebant anno 1459. aut anno 1460.

Confirmatur primò, quia incredibile eſt Sanctum Patriarcham Conventus illos acceptaſſe abſque licentia & approbatione Ordinarii. Atqui anno illo 1459. vel 1460. ac etiam ante 1471. nondum habebat approbationem Ordinarii: cum conſtitutio illa Pyrrhi quæ illi poteſtatem facit quæcumque loca & Oratoria accipiendi, ſit tantum anni 1471. ergo anno illo 1459. vel 1460. Conventus illos nondum acceptaverat.

Confirmatur ſecundò, quia ex depoſitione teſtis Sexti proceſſus Conſentini habemus, Conventus Paternenſem, Spezanenſem, & Coriolanenſem non eſſe ædificatos, niſi perfecto Monaſterio Paulæ. Atqui Monaſterium Paulæ nondum erat perfectum anno 1473. ut cap. præcedenti diximus, & patet ex prima conſtitutione Sixti quarti. Ergo Conventus illi non ſunt ædificati niſi poſt annum 1473. nec proinde ante annum 1460.

Confirmatur tertiò, quia legimus in vita Sancti

Sancti per discipulum coætaneum conscripta c. 4. quod cum primùm bonus Pater cœpisset ædificare Monasteria, plurimi invidi apud Ferdinandum Regem Neapolitanum, ejusque filios, Alfonsum Ducem Calabriæ, & Joannem Cardinalem Aragonium, à Legatione in Hungariam ; dictum, *Hungarum*, tantùm valuerunt, ut eorum animos ab illo reddiderint alienissimos ; ex quo maxima contra illum persecutio consequuta est. Atqui hoc non contigit nisi post annum 1475. cùm etiam Joannes non sit factus Cardinalis nisi anno 1478. ergo etiam Sanctus non cœpit primùm ædificare Monasteria nisi post annum 1475. ergo non ante annum 1460.

Eadem minor principalis probatur secundò de tribus illis coloniis seu Conventibus seorsim, & 1. de Paternensi. Nam imprimis nemo est sive ex testibus processuum, sive ex autoribus coætaneis aut supparibus qui ejus Conventus fundationem ad annum 1459. aut superiores, multo minus ad annum 1444. referre legatur : sed id colligi tantùm potuit ex litteris Apocryphis & supposititiis ad Simonem de la Limena, quarum sexta in centuria Longobardica notatur Paterno, anno 1445.

2. Econtra Domina Rosa de Yanne de Paterno, testis 82. Processus Consentini,

loquens de tempore quo Sanctus venit Paternum ad ædificandum Monasterium, quoque ipsa à tumore importuno in ore, quem à nativitate passa erat, illius virtute sanata est, dicit id factum anno 36. anteriori, quod cadit in annum 1476.

3. Testis 4. ejusdem processus agens de tempore quo idem Monasterium ædificabatur, subdit, *agitur nunc vigesimus nonus aut trigesimus annus*, qui redire debet ad annum 1482.

4. Cùm infinita miracula referantur Paterni in ædificatione illius Conventus facta, ex quo à nostris cœnobium miraculorum appellatum est, nullum est interim cujus nota temporaria ultra annum 1475. saltem insigniter progrediatur: ut legenti processus apparebit, quâ ergo ratione ipsius Monasterii fundatio ultra illum annum ascendendo protendetur.

Deinde idem probatur de Spezànensi 1. quia similiter nullus est testis, nec autor coætaneus, aut suppar, qui cœnobii illius fundationem anno 1475. antiquiorem faciat; multò minus qui eam ad annum 1453. referat. 2. quia ex teste 106. processus Calabrici apparet, Sanctum venisse Spezanum cùm fames valida totam regionem occuparet. Atqui à teste 22. ejusdem processus docemur hanc famem, in qua ipse San-

ctus unicum panem quem miraculo produxerat, majori miraculo multiplicavit, contigisse anno circiter 1479. ergo Conventus Spezanensis non priùs acceptatus est seu ædificatus, nec proinde anno 1453.

Denique idem probatur de Coriolanensi. 1. quia nullus etiam scriptor illius temporis ejus fundationem ante annum 1475. constituit. 2. quia ut fundaretur ille Conventus extra Diœcesim Cosentinam, debuit haberi licentia Episcopi Diœcesani ipsius loci, qui est Episcopus Rossanensis: atqui illa non est habita ante annum 1473. aut 1474. alioqui Sixtus IV. illius meminisset in sua Bulla, sicut meminit Bullæ Archiepiscopi Conzentini: quod tamen non fecit. Ergo nec ille Conventus ante dictum annum 1475. est fundatus. 3. quia testes 101. & 102. processus Cozentini, quorum posterior dono dedit Beato Patri quamdam possessionem etiam pro ædificando ejusmodi Monasterio, loquentes de tempore quo Sanctus venit illud ædificaturus, signant tantùm an. 1481. trigesimum scilicet aut circiter ante suam depositionem: ergo nec prius ædificatio illa est reponenda. 4. tandem quia R. P. Ægidius Camartus 36. Ordinis Generalis investigata in suis visitationibus illius Conventus origine, ad annum tantùm 1476. illam constituit. Non ergo

in anno 1458. aut etiam ante annum 1475. potuit legitimè constitui.

Hoc argumentum fusiùs proposui, ut quod plurimum conducere posset ad illustrandam Ordinis nostri Chronologiam: & ad errores in eam illapsos & detegendos, & etiam si fieri potest corrigendos: quod ut fiat.

Respondeo primò annum Sancti Natalem, & eam quam vixit Ætatem nullo modo deduci ac colligi debere ex ætate in qua Conventus Paternensem, Spezanensem, Coriolanensem, aliosve acceptavit aut ædificavit. Quippe ex incertiori non debet deduci quod certius est: atqui longè certiores sumus de Anno Sancti Natali & Ætate quam vixit, quàm de ætate in qua Conventus illos fundavit, & ædificavit. De hac enim neque testes in processibus auditi, neque discipulus coævus primus vitæ autor, neque Jacobus Simoneta, neque Bulla Canonizationis, neque ulli alii autores aut coætanei aut suppares: imò nec quiquam quos viderimus, usque ad annum 1581. quidquam scripserunt & tradiderunt. De illis verò clara & aperta habemus apud illos testimonia: ergo non est æquum Ætatem Sancti aut annum ejus Natalem velle colligere ex ea ætate in qua dictos Conventus fundasse & ædificasse traditum fuerit. Qua-

Digitized by Google

re ſi fundatio illorum Conventuum neceſſariò revocanda eſſet poſt annum Chriſti 1475. aut 1476. quo tempore juxta noſtrum computum Sanctus 60. annos natus erat, potius diceremus illum nullum alium à Paulano Conventum acceptaſſe & ædificaſſe ante annum vitæ ſexageſimum, quam ab illo computo; quæ eſt antiqua, univerſalis & primaria Ordinis traditio diſcederemus. Nec obſtat quod omnes recentiores dicant illos Conventus ante annum Sancti 43. eſſe fundatos: Nam & iidem dicunt Sanctum anno 1416. natum eſſe, & annos 91. vixiſſe: unde ſi illa ſimul conciliari non poſſent, deberemus potius illis aſſentiri in eo in quo cum antiquis & coætaneis autoribus loquuntur: quàm in eo in quo nulla antiquorum teſtimonia & monimenta proferre poſſunt.

Reſpondeo ſecundò conſequenter, me nolle hîc decidere, vel etiam explorare, quo definitè Anno vel Chriſti, vel propriæ Ætatis Sanctus Conventus illos acceptaverit fundaveritque, utpote quod ad quæſtionem in hacce diſſertatione agitatam non omnino pertineat. Maximè cum id commodiùs faciendum ſit in compendioſa totius Ordinis tum Chronica tum Bibliotheca quam paramus: quæque poſt editas ſanctorum per totum anni circulum vitas,

Digitized by Google

quæ jam prælo subsunt, prodire poterit. Nec propterea quidquam detrahitur sententiæ quam hactenus deffendimus, & ab Adversarii argumentis sartam tectamque servavimus: nam quidquid dicatur de tempore fundationis dictorum Conventuum, debet illa semper certa & indubitata permanere.

Respondeo tertiò, nihilominus minorem argumenti saltem ex parte falsam esse & negandam: in eo scilicet quod dicit tres illos Conventus nominatos, non esse acceptatos & fundatos ante annum Christi 1475. Et certè quantùm ad Conventum Paternensem, præterquam quod ex veteri & omni memoria superiori traditione, eo loco prorsus indubitata, habetur Sanctum in eo per duodecim annos habitasse, quod fieri nullatenus posset si solùm ad annum 1475. fuisset acceptatus. Est & aliud satis evidens testimonium antiquioris illius fundationis à Papebrochio quidem tactum, sed nullatenus deprehensum. Quippe certissimum est Beatissimum Patrem in eo fuisse cùm R. P. Antonius Scozetta Minor de Observantia contra ejus miracula ex zelo quodam inconsiderato & præcipiti, publicè concionatus est, quin & ad ipsum venit ut eum de vitæ genere, ac stupendis morborum curationibus, coram argueret. Quo in congres-

ſu cùm Sanctus & corripientem mira cum manſuetudine audiiſſet, & prunas ardentes nudis manibus, illæſus penitùs, tractaſſet, preſſiſſetque, hominis animum prorſus immutavit, & ex ſuo convitiatore ; ſuum è contra encomiaſtem effecit. Tunc, inquam, abſque ullo prorſus dubio degebat in Conventu Paternenſi, ut teſtantur 4. diverſi teſtes, videlicet 64. & 72. proceſſus Cozentini, & 112. ac 118. majoris proceſſus Calabrici. Atqui id neceſſariò contigit non ſolùm ante annum 1475. ſed etiam longè ante annum 1470. Oportet ſiquidem non parvum temporis ſpatium fluxiſſe inter illum Antonii cum Sancto congreſſum, & ipſius mortem ; cum conſtet eum deinceps ad eum ſanctitatis gradum deviniſſe ut etiam ipſe miracula faceret : atqui ex autoribus Franciſcanis habemus ; nempe ex Marco Uliſipponenſi, ex Gonzaga ; & ex Arturo du Monſtier in Martyrologio Franciſcano, ad 24. diem Novembris, ipſum Amanteæ, in patria ſua, obiiſſe, anno D.1470. ergo congreſſus ille contingere debuit longè ante an. 1470. ergo cùm in Conventu Paternenſi factus ſit, nec ſtatim ab initio fundationis illius, ſed poſt innumera miracula jam edita, omnino neceſſarium eſt fundationem Conventus illius Paternēſis an.1470. longe antiquiorem eſſe.

Digitized by Google

De Spezanensi & Coriolanensi sufficiat jam dicere eos apud testes 3. 6. 10. & 11. processus Conzentini conjungi cum Paternensi, quasi pari facilitate, nec temporibus valde diversis acceptatos, quod magis illustrabitur in responsionibus ad probationes & confirmationes minoris, secundùm quod à nobis negata est.

Ad primam igitur probationem quæ omnes conjunctim Conventus attingit, petiturque eo quod neque Beatus Franciscus in sua supplicatione pro obtinendis privilegiis, neque Pyrrhus & Sixtus in suis constitutionibus, alterius Conventus meminerint quàm Paulani. Respondeo me libenter velle causâ cadere, si ita est, ut sustinet & profitetur Papebrochius: sed eum è contrario causâ cadere necesse est, si rem aliter se habere demonstravero. Atqui id luce clariùs apparebit ex sola lectione Bullæ Sixti IV. sub data 26. Maii, an. 1474. sic enim habet num. 7. *Insuper & vos, & quemlibet vestrum, ac Eremitorium, sive Ecclesiam S. Francisci, de Paula*, (hoc est Paulæ existentem) *cæteraque omnia & singula Eremitoria, Ecclesias, & loca per vos in quibuscumque civitatibus & Diœcesibus, ac ubilibet hactenus recepta, & in posterum recipienda, cum omnibus juribus & pertinentiis suis Eremitasque & personas in illis pro tempore degentes, ac res, &*

Digitized by Google

bona quæcumque mobilia, & immobilia ad vos, & Eremitas, & perſonas, ac veſtrûm quemlibet, ac loca, Eremitoria, & Eccleſias hujuſmodi quomodolibet, communiter, vel diviſim ſpectantia & pertinentia, ab omni juriſdictione, dominio poteſtate, viſitatione, correctione, & ſuperioritate prædicti, ac pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi Conſentini, & aliorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Ordinariorum, judicum, & Superiorum quorumcumque, etiam illorum in quorum juriſdictione, Civitatibus, & Diœceſibus Eremitoria loca, Eccleſiæ, vos, & Eremitæ, ac perſonæ, res, & bona hujuſmodi conſiſtunt, & conſiſtere poterunt quomodolibet in futurum, autoritate & ſcientia prædictis, de ſpeciali gratia, tenore præſentium prorſus eximimus, & totaliter etiam liberamus, &c. Dic obſecro, an in his verbis de ſolo Conventu Paulano fiat mentio? an non etiam alii non ut promiſſi, non ut ſperati, non ut brevi recipiendi, ſed ut jam recepti, jam fundati, jam bona, jura, & pertinentias habentes memorentur. Ergo non unus ille Paulanus, ſed plures alii, & ad minus Paternenſis, Spezanenſis, aut etiam Coriolanenſis erant accepti. Ergo ſine cauſa & contra Bullam omnes illæ fundationes poſt annum 1475. rejiciuntur.

At, inquiet, ſaltem de illis nihil in Bulla præcedenti ejuſdem Sixti anni 1478. nihil in diplomate Pyrrhi anni 1471. nihil in

supplicatione S. Patriarchæ eo in diplomate relata. Respondeo primò ad summum inde sequi fundationes illas ad annum 1472. aut 1473. esse referendas : at non, differendas usque ad annum 1476. Respondeo secundò neque illud necessariò colligi debere : Nam quantùm ad Sanctum Patriarcham, imprimis dici posset illius supplicatio non esse integrè relata : cum in verbis quæ habemus neque alios Conventus accipiendi licentiam, neque eorum cùm accepti fuerint exemptionem ullo modò postulet : quæ tamen & in diplomate conceduntur. Secundò dici potest & meliùs Sanctum pro sola Conventus Paulani exemptione supplicasse ; non quod alios non haberet, sed quòd hic esset omnium caput : quòd hujus exemptio facilè ad alios extendi valeret : quòd parva petendo, ampliorâ de Pyrrhi liberalitate, speciali gratia, proprioque motu ei speranda essent : quódque tandem id sufficeret ad generalem Romæ totius Ordinis exemptionem obtinendam.

Quod verò spectat ad Pyrrhum, non mirum si in suo diplomate alia à Paulano cœnobia distinctè non exprimat, cùm supplicatio Sancti illorum non meminisset. Interim non omnino illa prætermittit. Nam cum ait, se potestatem dare loca & oratoria quæcumque accipiendi & retinendi ; il-

lud, *retinendi*, poteſt extendi ad ea quæ jam erant acquiſita. Cùm verò ſubdit ſe Oratorium & Eccleſiam Paulanam, ac alia quæcumque loca Oratoria & Eccleſias poſtea acquirenda à ſua juriſdictione penitus abſolvere; ſubintelligi debent iterum, & acquiſita, quatenus vigore hujus diplomatis erant retinenda, amplificanda & in perpetuum poſſidenda, & ſic puto ſubintellexiſſe Sixtum IV. in poſteriori Bulla, de qua ſuperiùs.

Quod tandem attinet ad priorem hujuſce Pontificis Bullam, cum ſit ſimplex commiſſio ad Epiſcopum S. Marci directa, pro examinando Pyrrhi privilegio, nihil etiam mirandum ſi de dictis Conventibus imo nec de ullo alio in reſponſione ad ſupplicata loquatur. Expoſitio autem ſeu ſupplicatio Sancti in ea contenta de iis etiam nihil habet, ſive ob rationes ſtatim adductas, ſive etiam quòd tunc ſolum cœnobium Paulanum formam perfecti Conventus haberet. Certe nec loquitur de Conventibus poſtea accipiendis licet diploma Pyrrhi eorum exemptionem conceſſiſſet, quod argumento eſt, non omnia quæ dici poterant in illa fuiſſe expreſſa.

Ad primam confirmationem, diſtinguo majorem. Sanctus non acceptavit illos Conventus abſque licentia Ordinarii, licentiâ

particulari ad singulos datâ, Concedo. Licentiâ generali cujuscumque acceptandi, Nego. Similiter distinguo Min. Sanctus non habuit licentiam acceptandi Conventus ante annum 1471. licentiam generalem, transeat. Licentiam particularem, Nego. Unde nego consequentiam. Ad probationem ex constitutione Pyrrhi petitam, Respondeo fortè ex illa sequi Sanctum ante illam non habuisse facultatem generalem accipiendi quoscumque Conventus: utpote quæ per eamdem illi detur. At non sequi eum non habuisse facultatem particularem ad singulos accipiendos datam. Dico, fortè, quia etiam dici posset illa concessio esse potius confirmatio, quam prima donatio. Certè per eamdem constitutionem fit Sancto potestas admittendi fratres ad habitum & professionem, & tamen jam illam habebat, & jam plures ad professionem admiserat: Ergo etiamsi fiat potestas acceptandi Conventus, non sequitur quòd illam antea non habuerit. Nec obstat quòd nulla restet memoria vel exemplar licentiæ illi datæ: nam nec restat exemplar licentiæ primò datæ acceptandi Conventum Paulanum, & tamen adversarius eam non negat. Deinde illa vel solum verbalis fuit, vel si scripto data facile interire potuit eo tempore quo chartis servandis

nullus locus adhuc fuerat deputatus.

Ad ſecundam confirmationem diſtinguo etiam Maj. Ex teſte 6. Conventus illi non ſunt ædificati, niſi perfecto Monaſterio Paulæ. Non ſunt ædificati majori ædificio, tranſeat, ædificio ruſtico & extemporaneo, Nego. Quæ diſtinctio, minori conceſsâ, adhibenda eſt ad conſequens. Nempe in obſcuritate originis illorum Conventuum convenienter exiſtimari poteſt quòd prout in aliis fundationibus fieri ſolet, primò extructa ſunt parva domicilia & eremitoria in quibus religioſi aliquamdiu habitarunt: Deinde verò major Conventuum fabrica ſuſcepta eſt. Et id maximè dicendum videtur de Paternenſi: cum ex teſte 118. proceſſus Calabrici habeatur primo aditu datum eſſe Sancto Sacellum quoddam in quo Fratres, dicti de diſciplina, morabantur, cui profectò ſummè probabile eſt vel domum jam tum fuiſſe adjunctam, vel ſine mora præcipiti & extemporaneo ædificio fuiſſe ſuperadditam. Cum igitur teſtis 6. ait Conventus illos non eſſe ædificatos niſi perfecto Monaſterio Paulæ, ſenſus non eſt Eremitoria in locis non eſſe conſtructa, ſed ſolùm majorem Conventuum fabricam non eſſe ſuſceptam. Dixi interim, tranſeat, quia forte vel illa verba teſtis 6. non ſum rigidè interpretanda, ut

pleraque alia illorum testium. Vel etiam major illorum Conventuum fabrica sæpius intermissa, sæpiusque repetita est. Cæterum videat lector an ex rebus adeò incertis argumentum solidum erui possit?

Ad tertiam confirmationem distinguo pariter majorem. Cum Bonus Pater cœpit ædificare Monasteria, Domus Regis Neapolitani adversus illum exasperata est: cum cœpit ædificare Monasteria majori numero, majori sumptu & amplitudine, majori fama & nominis celebritate, concedo. Absolutè & simpliciter, Nego. Et id adversarius ipse dicere tenetur, cùm nolit hanc persecutionem initio ædificationis Conventus Paulani quam ad annum 1457. consignat, contigisse, sed plus quàm viginti annis postea. Et hæc distinctio consequenti applicanda est. Posset etiam dici ad minorem, eamdem persecutionem diu durasse, nec cœpisse cum Joannes Aragonius, anno 1478. Cardinalis creatus est, sed longè priùs: etsi tunc maxime viguerit, propter majorem tum ædificiorum tum miraculorum famam.

Jam ad secũdam minoris principalis probationem quæ dictos Conventus seorsim spectat respondendum est. Et quidem quantùm ad Paternensem. Ad primum dicēdum verè nullum esse autorem aut coætaneum

Digitized by Google

aut ſupparem qui fundationis illius Conventus annum diſtinctè definiat : ut jam ſuperiùs faſſi ſumus. At ex poſteriori Bulla Sixti IV. facile colligitur eum ante an. 1474. eſſe acceptum. Et ex Epocha obitus R. P. Antonii Scozetti, eum anno 1470. eſſe antiquiorem. Et ex relatione Jacobi Simonetæ ſæpius à nobis cum reverentia citati, eum etiam anno 1460. eſſe præponendum. Tenet ſiquidem iſte Sanctum anno 1416. natum eſſe, & adhuc admodum juvenem plura in Calabria Monaſteria, ac proinde Paternenſem qui Ordinis ſecundus fuit ædificaſſe : atqui id eſſe non poſſet ſi tantùm poſt annum 1460. Monaſteria illa ædificare cœpiſſet, cum tunc ex illo computo jam annos 46. haberet, qua ætate homo non eſt amplius admodum juvenis ergo ex illo autore concludendum eſt Conventum præſertim Paternenſem, ante annum 1460. acceptum fuiſſe.

Ad ſecundum dicendum Dominam Roſam de Yanne dum ait Sanctum verſus annum 1476. veniſſe ad ædificandum Monaſterium Paternenſe, non loqui de prima illius acceptatione, ſed de majoris ejus ædificii conſtructione aut etiam repetitione.

Ad tertium dicendum ſimiliter iſtum teſtem loqui de tempore quo majori Paternenſis cœnobii ædificio intendebatur, non

Digitized by Google

de illo quo primùm Conventus ille acceptatus est.

Ad quartum dicendum nonnulla etiam miracula referri facta 40. annis ante processum Consentinum, nempe à testibus 9. 22. 24. 51. & 99. ejusdem processus, quod cadit in annum 1472. alia quoque referri sine ulla nota temporaria præsertim in processu Calabrico, quæ ad annos superiores videri possent pertinere. Quòd si pleraque annis inter 1475. & 1482. excurrentibus notentur, id provenit non quòd ante illos nullum haberemus Paterni domicilium: sed quòd tunc majori illius ædificio instantior daretur opera; quòd Sanctus etiam tunc frequentius in ipsum adventaret ac diutiùs in eo demoraretur: quodque tempore processuum plures illorum annorum testes superstites essent, quàm præcedentium.

Instat adversarius. Testis nonus dicti processus Cosentini notans annum 40. ante suam depositionem hoc est annum 1472. ait tunc Sanctum ivisse Paternum ad capiendum locum pro ædificio Monasterii quod suæ depositionis tempore erat extructum: ergo prima fundatio illius Monasterii nonnisi post illum annum est reponenda.

Respondeo distinguo antecedens. Id est ad designandum locum pro majori ædificio illius

illius Conventus, concedo. Id eſt ad accipiendum primum domicilium quod habuit Paterni, Nego. Et ſic nego conſequentiam.

Inſtat iterum, Magiſtratus Paternenſis ſcribens ad Leonem X. pro impetranda Sancti Canonizatione, dicit ſimpliciter illum antequam tranſiret in Gallias egregium apud ſe Monaſterium conſtruxiſſe: hoc autem non ſignificat multos annos ante illum tranſitum, ſed valdè paucos: ergo fundatio illius Conventus non eſt multùm removenda ab anno 1482. quo Sanctus exceſſit è Calabria.

Reſpondeo Magiſtratum illum ita loqui quia major fabrica illius Conventus vel tardè cœpta eſt, vel diu duravit, & ita vix perfecta eſt ante Sancti profectionem. Neque id mirum cùm ſimile quid contigerit in ædificatione Conventus Paulani. Quantùm ad cœnobium Spezanenſe, quod eſt alterum ex tribus propoſitis. Ad primum dicendum, quod licet nullus teſtis, vel autor coætaneus, fundationis ejus annum determinet, tamen ex Bulla Sixti IV. & relatione Jacobi Simonetæ ſtatim citatis judicari poteſt antiquior eſſe & anno 1474. & etiam anno 1460. Adde Provinciæ illius, Conventuſque traditionem, ex qua potiùs, quàm ex litteris ad Simonem de la Limena,

ipſius epocha ab Hiſtoricis noſtris & Chronographis videtur eſſe deſumpta.

Ad ſecundum dicendum, illud in multis peccare: nam primo teſtis ille 106. qui citatur in majori non dicit Sanctum tunc cœpiſſe Conventum Spezanenſem, ſed tantum Spezano tranſiiſſe. 2. Non ait tunc famem totam Provinciam occupaſſe, ſed ſolùm ſe cum tribus adoleſcentibus quindecim circiter annorum, ſuis ſociis, fuiſſe famelicos. 3. Etſi daremus eum loqui de fame generali, nihil tamen cogit dicere eamdem illam eſſe quæ à teſte 22. memoratur in minori, & ad annum 1479. conſignatur, tum quia miracula multiplicationis panis & vini ab utroque teſte relata, infinite diverſa ſunt tam in ſubſtantia, quam in circumſtantiis, tum etiam quia alia Calabriæ fames à teſte 24. proceſſus Coſentini refertur ad annum 1472. quid ni & alia antiquior fuerit. Igitur ex hoc argumento confici non poteſt fundationem Conventus Spezanenſis ad annum uſque 1479. eſſe differendam.

Quantum denique ad Monaſterium Coriolanenſe, quod ex iis tribus poſtremum eſt. Ad primum dicendum ſicut ad primum pro Conventibus Paternenſi & Spezanenſi.

Ad ſecundum dicendum, ſine dubio San-

ctum Conventus illius ædificandi licentiam habuisse ab Archiepiscopo Rossanensi, qui ejus loci Ordinarius erat. Falsum verò est non potuisse illam habere ante annum 1474. nam quòd Sixtus quartus de illa in sua Bulla non loquatur, non inde provenit quòd nulla fuerit, sed quod, cùm nullum privilegium speciale à Sancta sede confirmandum contineret, Romæ produci non debuerit, & re ipsâ non sit producta.

Ad tertium dicendum, testes illos 101. & 102. processus Consentini non loqui de tempore acceptationis Conventus, sed de tempore majoris ejus ædificii: ad quod commodiùs faciendum posterior dedit suam possessionem perpetuò jure tenendam.

Ad quartum denique dicendum, autoritatem Camarti ponentis initia Conventus Coriolanensis ad annum 1476. non minùs adversari doctissimo Papebrochio illa post annum 1480. differenti, quàm nobis eadem longè antiquiora fuisse definientibus, præsertim cùm dicat Sanctum eo in loco moram diuturnam traxisse, quod nullo modo esse posset, si adeò tardè illius fundamenta posuisset. Videat ergo ipse adversarius quid ei respondendum, quidque de ipsius autoritate judicandum putet. Certè apud me maxima est. Sed cùm ejus scriptum nunquam editum fuerit, nec forte ab illo ite-

rum lectum atque recensitum, non video cur major illi quàm tot aliis scriptoribus contra sentientibus fides adhibenda sit.

Ex his igitur omnibus satis apparet. Primo epochas primorum Ordinis nostri Conventuum à doctissimo Papebrochio assignatas non esse recipiendas: eosque Conventus longe antiquiores esse saltem in prima sui origine quàm ab illo definiatur. Secundo, ex illorum fundatione nihil posse inferri contra veritates quas hic tuemur & propugnamus, videlicet Sanctum Patrem anno 1416. natum esse & annos 91. vixisse. Cæterum si quid est inter illorum Conventuum tabulas, scriptaque instrumenta, unde quid certius de eorumdem initiis determinari possit, speramus à nostris aut in publicum producendum, aut nobis communicandum, ut quæ obscura sunt illustrentur, & quæ dubia, fideli chartarum testimonio confirmentur.

CAPUT XIII.

Solvitur quinta objectio petita ex Ætate quo Sanctus in Galliam migravit.

CONVENIUNT omnes, ut dicant sanctissimum Patriarcham anno salutis 1482. Italiam reliquisse, & Turones in

Galliam advenisse. Notant etiam aliqui diem tam egressus, quàm adventus. Videlicet egressus 2. Februarii: adventus verò 24. Aprilis. Certè constat eum cis Alpes migrasse uno anno ante obitum Ludovici XI. Gallorum Regis: at is obiit anno 1483. ergo Sanctus in Galliam venit anno 1482. precibus, ut notum est, ejusdem Ludovici.

Ex hac epocha à nemine hactenus in dubium revocata alterum argumentum desumit doctissimus Adversarius ad probandum Sanctum nec anno 1416. natum esse, nec anno Ætatis 91. obiisse: quod sic nitidè proponi potest. Cùm constet Sanctum venisse in Galliam anno 1482. ut dicatur natus anno 1416. debet etiam dici venisse in Galliam anno suæ Ætatis 66. nam ab anno 1416. usque ad annum 1482. currunt anni 66. atqui non potest dici Sanctus venisse in Galliam anno suæ Ætatis 66. quin potius cum in Galliam venit non excedebat annum Ætatis 44. ergo non est natus anno 1416. sed ad summum anno 1438. à quo ad annum 1482. numerantur anni 44. major evidens est & quasi ad sensum demonstrabilis.

Minor ostenditur primò autoritate Philippi Cominæi celeberrimi Franciæ Historiographi. Is enim lib. 6. suorum com-

mentariorum cap. 8. loquens de advocatione Sancti in Galliam, distinctè sic habet. *Præfatus Eremita in Ætate annorum 12. rupem quamdam subiverat, ibique manserat, usque ad Ætatem annorum 43. vel circiter: usque ad eam videlicet horam, qua Rex eum accersivit per suum Æconomum illuc profectum in societate Principis Tarentini.* Quibus in verbis luculenter declarat Sanctum non excessisse annum suæ Ætatis 44. cùm à Rege Ludovico X I. in Galliam accersitus est, ac proinde eo anno, non anno Ætatis 66. in partes cis-Alpinas venisse.

Hîc verò tria maximè ponderanda sunt. Primum est Philippum Cominæum ab omnibus laudari ut Historicum accuratissimum & fidelissimum, quique nihil leviter & inconsideratè unquam scripserit. Unde & à Belcario Episcopo Metensi dicitur, *religiosus in scribenda Historia.* A Papirio Massonio, *naturà amantissimus veri*; & à Justo Lipsio, *dignus Alexandris omnibus Philippus.* Secundum est, sanctissimum Patriarcham fuisse illi notissimum, ut quem sæpius in aulà Regum Ludovici X I. & Caroli V I I I. viderit, & cum iis Regibus, in frequenti magnatum & primorum regni corona, differentem, audierit. Nec potuit non observasse tam vultus ejus lineamenta & rugas, quam modum agendi, loquendi, & ambu-

landi, ex quibus hominum ætas communiter dignosci solet. Tertium est, quod si eum decipi contigisset, potiùs Ætatem augendo quàm minuendo deceptus esset: cùm & corporis tot laboribus & jeuniis exhausti debilitas & veneranda capitis canities, & incompositæ barbæ longitudo seniorem potius quàm juniorem demonstrarent: unde facilius fuit & 70. tantùm annos nato, 91. tribuere: quàm 66. annos habenti, viginti duobus detractis, solùm quadraginta quatuor imputare. Quæ omnia Cominæi testimonium insigniter commendant.

Ostenditur secundò eadem minor: quia si Sanctus 66. annos habuisset cum ex Italia in Galliam migravit, soror ejus Brigitta non minùs etiam habuisset quam annos 65. cum enim utriusque parentes non longè post Sancti Nativitatem ex consensu mutuo castitatem voverint, ut ex vita ipsius per discipulum coætaneum conscripta facilè colligi potest, non potuit illa magis quam uno aut altero anno junior esse fratre: atqui repugnat dicere Brigittam cum Sanctus in Galliam venit 65. annos natam fuisse. Siquidem ex diplomate Caroli VIII. in gratiam D. Andreæ de Alesso ejus filii, anno 1490. dato, habemus ipsum cum in Galliam vocatus est, quod paulo post adventum Beati ejus avunculi contigit, fuis-

se adhuc valde juvenem & teneræ admodum ætatis : hoc est 12. aut ad summum 14. annorum. Atqui mulier habens filium hujusmodi ætatis non potest habere 65. annos. Aliàs illum peperisset anno 51. quod maxime in Italia, aliisque regionibus calidis fere inauditum est: ergo repugnat dicere Birgitam Sancti sororem, & Andreæ illius matrem sexaginta quinque annos habuisse, cum ipse Sanctus in Galliam migravit.

Idque confirmatur maxime, quia ipse Andreas de Alesso non fuit natu minimus ipsius liberorum : quin potius in tabula genealogica ejus familiæ sæpius tum seorsim, tum in variis operibus excusâ, numerantur post illum Angela de Alesso, & Paulus de Alesso, qui in Calabria demorati sunt. Ergo cum Beatus ejus frater in Galliam profectus est, habebat illa liberos adhuc infantes & tenellos, utpote Andrea teneræ ætatis puero juniores. Ergo non erat nata 65. annos. Ergo nec ipse illius frater ad annum 66. pervenerat.

Cum in hac objectione plurimam vim faciat adversarius : & ea fortè majorem in litteratorum animis difficultatem paritura sit, operæ pretium est illam accuratius examinare & solvere. Et quidem de majori dubium esse non potest : cum enim inter 16. & 82. reperiantur 66. Si Sanctus an. 1416. na-

tus eſt, nec niſi anno 1482. ex Italia migravit : neceſſe eſt illum cum migravit fuiſſe 66. annorum. At minor abſolute falſa eſt : quòd videlicet Sanctus non poſſit dici hac ætate veniſſe in Galliam, ſed tantùm circa annum vitæ 44.

Ad primam illius probationem ex teſtimonio Philippi Cominæi petitam. Reſpondeo primo quod licet Cominæus in rebus ad Franciæ hiſtoriam pertinentibus ſit accuratiſſimus & fideliſſimus, & id perfectè impleverit quod lib. 5. c. 13. facturum ſe proteſtatus eſt, ut videlicet neminem palpans veritatem nudè & ſimpliciter, prout à viris fide digniſſimis comperiſſet, perpetuò aperiret : Interim in iis quæ Beatum Franciſcum de Paula ſpectant, incertis prorſus, falſiſque relationibus ac documentis uſus eſt. Nam imprimis contra omnium teſtium, actorum, Bullarum, litterarum, diplomatum, hiſtoricorum fidem, ille primus, ille ultimus, ille ſolus eum non Franciſcum, ſed Robertum nuncupavit : *Inter homines*, inquit, *pietatis fama celebres, unum aliquem Ludovicus XI. è Calabria accerſivit, nomine fratrem Robertum, quem ob vitæ ſanctimoniam, Sanctum virum appellabat.* Nec quiſquam hactenus inauditi hujus nominis (Roberti) cauſam deprehendere potuit, ut neceſſariò credi debeat illud à Cominæo ex in-

ſtrumento aliquo erroneo eſſe acceptum. Scio Papebrochium ſuſpicari Cominæum in authographo ſcripſiſſe Franciſcum, nomen verò Roberti exſcriptoris alicujus mendo in ejus textum irrepſiſſe : Verùm cùm in omnibus tum editis, tum manuſcriptis, (exceptâ forte verſione Hiſpanicâ Joannis Vitriani, qui autorem non ex exemplari authentico, ſed ex ſola rei veritate corrigere præſumpſit,) legamus, *Robertum*; non *Franciſcum*, ſuſpicio illa ut nullo ſubnixa fundamento, omnino rejicienda eſt: errorque Cominæi hac in re liberè eſt agnoſcendus.

Præterea, nec ſatis conſultè dixit Sanctum antequam in Galliam veniret, duas Eccleſias ſeu duo Monaſteria in eo loco in quo morabatur erexiſſe. Nam vel loquitur de urbe Paula, vel de tota Calabria : ſi de urbe Paula, non duo Monaſteria, ſed unum tantùm Sanctus ad eam erexerat. Si de tota Calabria, quatuor aut quinque, non duo tantùm in ea ædificaverat : & ita ex omni parte propoſitio iſta deficit.

Denique multò minùs verum eſt quod addidit Sanctum ſub rupe Paulana manſiſſe uſque ad horam qua à Rege Ludovico accerſitus eſt. Nam præter-quam-quod ex innumeris actis probari poteſt eum longo tempore in Conventibus Paternenſi, Spe-

zanensi, Coriolanensi, & Milaytano habitasse: adhuc ex aliquibus notum est eum à Legatis Regiis non Paulæ, sed Paterni esse repertum; nec Paulâ sed Paterno profectum, ut Neapolim, Romamque, ac inde in Galliam veniret.

Ex his judicet lector an circa Sancti Ætatem Cominæo prorsus fidendum sit, & an ejus testimonium, testimonio Bineti ipsius Sancti Amanuensis, cæterorumque Ordinis qui tempore Canonizationis Romæ degebant Religiosorum ac Jacobi Simonetæ, ipsiusque Bullæ Canonizationis, sit præferendum. Ego certè omnino postponendum arbitror. Maximè cùm Cominæus Ætatem Sancti obiter tantum attigerit, & aliundè notum sit, aulicos qualis ille erat, de rebus hujusmodi ad regularium personas spectantibus non ita sollicitos esse.

Nec obstat primò, quòd ille à viris doctissimis & spectatissimis optimi historici nomen ac præconium meruerit: hoc enim non impedit quominus in aliqua re ad historiam Galliæ non pertinente, infideli forte relatione aut conjectura fuerit deceptus. Quis enim est qui omnem prorsus errorem præcavere possit?

Nec obstat secundò, quòd idem sæpius sanctum Patriarcham viderit, audierit, observaverit & etiam contemplatus sit. Nam

imprimis longe meliùs ipſum obſervarunt & Binetus, & alii contemporanei ſui Ordinis religioſi, qui tot annis cum eo vixerunt, habitarunt, & familiariter verſati, & converſati ſunt: quique interim eum pluſquam Nonagenarium obiiſſe conſtanter tradiderunt. Præterea etſi Cominæus illum obſervavit, potuit ex ejus vultu, manibus, totoque corporis habitu non difficulter decipi. Siquidem in ejus vita per diſcipulum coævum conſcripta habemus: *quod is erat corpore ſatis pleno & robuſtæ naturæ, quamvis autem eſſet abſtinentiæ prorſus ſtupendæ, non erat tamen ullatenus debilitatus: ſed vultu colorem præferebat roſeum, veluti ſi veſceretur quotidie delicatis cibis: unde agnoſcebatur gratia Dei in eo elucens: cum qui obeſus videbatur exteriùs, interiùs ſola haberet oſſa. Sancti Antonii ſimilitudinem referebant vultus ejus lineamenta.* Et ex teſtibus 57. 61. 74. & 75. proceſſus Cozentini diſcimus, quod quamvis continuò per ſylvas, per dumeta, per ſpinas, per lapides, per cœnum ambularet, & palis ferreis, ligonibus, aliiſque inſtrumentis terram everteret, petras foderet, cœmentum aptaret, trabes & ſaxa moveret: tamen manus & pedes illius nunquam neque lædebantur, neque inquinabantur, neque callo ſuccreſcente indurabantur: ſed erant mundiores, candidiores ac pulchriores

manibus pedibusque magni alicujus Domini. Unde non mirum si ille Cominæo scribenti circa annum 1500. (quo tempore 84. annos natus erat,) visus est habere tantùm 63. annos, aut circiter proindeque tempore adventus in Galliam solùm 44. Neque id omnino insolitum est: plures enim videmus senes ad octuagesimum annum declinantes, qui nonnisi sexagenarii esse videntur cum è contra plures sexagenarii octogenario proximi appareant.

Neque obstat tertiò, quod additur, quòd si Cominæus decipiendus esset, potius deceptus fuisset per annorum additionem, quàm per detractionem: jam enim ex dictis contrarium apparet: quandoquidem Sanctus etsi ad stuporem abstinens, continuoque cilicii, ac flagellorum usu se macerans, non tamen debilitatus videbatur: sed vultu colorem roseum præferens, junior potius apparebat, quàm senior. Nec forte ex canitie semet-ipsam ætas prodidit: sive quòd Sanctus dum in Galliam venit, licet plusquam sexagenarius, nondum omnino canesceret. Sive quòd Cominæus tunc temporis illud non attenderit, sed solùm dum historiam componeret, cum videlicet Sanctus 84. annos aut circiter haberet: quo tempore canities vix inter senem plus quàm octogenarium & plusquam sexagenarium certò discernit.

Respondeo secundò ad idem Cominæi testimonium, quod si doctissimo Papebrochio suspicari licuit mendum in ejus textum irrepsisse, nomine Francisci mutato in Robertum. Si etiam idem in innumeris aliis suorum actorum locis jure potuit arguere numeros temporarios corruptionis, alterationis, mutationis, & transpositionis; Unde ipsemet Bollandus in vita S. Fabiani fatetur quod nihil æquè confusioni obnoxium sit ac numerales notæ: Quidni etiam nobis licebit dicere factam esse in illo Cominæi numero mutationem? ut cum ille scripsisset, usque ad Ætatem LXIII. annorum, unâ tantum litterâ transpositâ positum sit XLIII. annorum. Certè non infirmiora habemus ad id proponendum argumenta, quam ille ad quid simile asserendum in tot dissertationibus quæ per totum illius opus passim occurrunt, cùm evidenter ostenderimus Sanctum anno 1416. natum, non posse dici venisse in Galliam sexagenario minorem.

Respondeo tertiò pro majori ejusdem testimonii illustratione, Cominæum non omnino scripsisse ut vertit, & proposuit Papebrochius pag. 105. Gallicè enim sic habet. *Ledit Hermitte en l'âge de douze ans, s'étoit mis sous un Roc, où il estoit demeuré jusqu'en l'âge de 43. ans ou environ, & jusqu'à l'heure que le Roy l'envoya querir par un sien*

Maistre d'Hostel. Quod quidem non est vertendum : usque ad Ætatem annorum quadraginta vel circiter, ad eam videlicet horam qua Rex eum accersivit. Quasi in Gallico esset adverbium, *à sçavoir*, vel conjunctio, *ou*, & posterior pars esset explicatio prioris; Quomodo Papebrochius intellexit & vertit. Sed simpliciter vertendum. Usque ad Ætatem 43. annorum vel circiter, & usque ad eam horam qua rex eum accersivit. Ut posterior pars sit additio ad priorem. Hoc autem licet alicui nullius momenti videri possit, non tamen parum refert ad eam difficultatem quam hic versamus. Quippe secundum Papebrochii versionem sensus omnino indubitatus est, Sanctum anno Ætatis 43. vel circiter in Galliam esse accersitum. Secundùm verò rei veritatem, & posteriorem sicut & simpliciorem prorsusque litteralem versionem, sensus iste non est omnino certus & evidens : quin potius videtur Cominæus quasi de Ætate subdubitans addidisse quod sibi certius erat, *Et usque ad eam horam qua Rex eum accersivit.* Aut etiam duo tempora distinxisse : unum Ætatis 43. annorum ante quod Sanctus è Calabria non exivit, & frequentiùs Paulæ habitavit : alterum profectionis in Galliam ante quod etsi in Siciliam penetravit, & alios Conventus in

Calabria erectos frequentiori sui præsentia honestaverit, ad rupem tamen Paulanam aliquoties rediit. Quod si quis ista subtiliùs dicta & excogitata judicaverit, hæreat, per me licet primæ, aut secundæ responsioni. Sed ingenuè fateatur ex Cominæi testimonio nullo modo decidendum Sanctum 44. annos solum habuisse cum in Galliam venit, & Turones ad Ludovicum X I. accessit: ut in minori argumenti dicitur.

Ad secundam probationem ejusdem minoris ex ætate Birgittæ sororis Sancti desumptam: Respondeo primo nihil cogere ut dicamus illam uno tantùm duobusve annis Beato Fratre juniorem esse: habemus quidem ex indubitatis plurium instrumentorum actis eam extitisse; ex eaque Antonio de Alesso junctâ, aliquos liberos, ipsius Sancti nepotes esse procreatos. At quoto tandem post fratris nativitatem anno, nullo pacto memoriæ fuit proditum. Verum est discipulum coætaneum tam sæpe cum laude citatum in vita Sancti cap. 1. post recensitam hujus Natale statim addere. *Porro Iacobus & Vienna parentes, considerantes quod liberis operam dando proficerent parum, simul vixerunt spatio annorum triginta in voto castitatis absque commixtione carnis.* Sed sicut ex hoc loco perperam ab aliquibus illatum est eos non habuisse alios liberos, quàm Sanctum

ctum Franciſcum; eumque fuiſſe illorum unigenitum ſeu unicum filium. Ita nec ex illo concludi poteſt votum caſtitatis ſeu continentiæ ab eis ita celeriter fuiſſe emiſſum, ut inter fratris & ſororis nativitatem aliqui anni, puta quinque vel ſex non interceſſerint. Quin etiam cum dicat eos experimento cognoviſſe ſe liberis generandis inutiliter operam dare, agnoſcat neceſſe eſt eos aliquot annis in uſu matrimonii vixiſſe: qua ſolùm ratione infœcunditas dignoſci poteſt. Igitur nihil obſtat quominus dicamus Birgittam ex Jacobo & Vienna natam eſſe quinque ſex-ve annis poſt fratris nativitatem, ſicque cum is in Galliam ſexaginta quinque aut ſex annos natus gravit, non fuiſſe niſi ſexagenariam.

Reſpondeo ſecundò, nec quidquam impedire ne fateamur Birgittam uno aut altero anno poſt Sanctum ſuum fratrem natam eſſe: ſicque cum is in Galliam venit, ſexageſimum quartum vitæ annum attigiſſe. Nam quod de Andræa de Aleſſo ejus filio in litteris patentibus Caroli VIII. Regis dicitur, ipſum tunc fuiſſe admodum juvenem & teneræ adhuc ætatis, non ita intelligendum eſt quaſi ſignificet eum duodecim tantùm aut quatuordecim annos fuiſſe natum. Certè ille ejus frater qui juxta teſtem 23. proceſſus Calabrici cum Beato

utriusque avunculo, eâdem triremi in Galliam venit, quemque Papebrochius pag. 183. in notis, Nicolaum Birgittæ primogenitum, pag. verò 212. in tabula genealogica, Petrum appellat; Nicolaum, non amplius Birgittæ, sed alterius, filium faciens: Is, inquam, à teste 85. ejusdem processus vocatur *parvulus Sancti confrater:* & tamen cum jam in Ordine Religiosus esset, & ut arbitror professus; (quis enim putet Sanctum adducturum secum in Galliam & in aulam regiam, Novitium qui pro arbitrio habitum dimittere, & in sæculum remeare posset?) debuit habere novemdecim annos aut viginti: nam ex prima Religionis institutione minores annis novemdecim non sunt ad professionem admissi. Etsi ergo Andræas dicatur fuisse teneræ adhuc ætatis, cum in Galliam venit: & quando etiam parvulus fuisse pronuntiaretur, non inde concludi debet illum anno 20. fuisse minorem.

Quid? quod in ipsa scriptura, Isai de filio Davide loquens, cum à Samuele ad regiam unctionem quæreretur, dixit, adhuc reliquus est parvulus, & pascit oves? & tamen certum est, ut probat Cornelius à Lapide, illum tunc ad minus 20. annos habuisse. Longéque adhuc provectioris erat ætatis cum Saül illi adversus Goliath

Gigantem pugnaturo, dixit. *Non vales resistere Philistæo isti, nec pugnare adversus eum, quia puer es.* Quid? quod in alio scripturæ loco, Benjamin à fratribus puer parvulus appelletur, cum jam decem liberos habens, paucis scilicet ante migrationem in Ægyptum mensibus, viginti octo annis vix posset esse junior. Quid? quod in ipsis Sanctorum actis per Bollandum ejusque socios editis, similes termini maximam juventutem præ se ferentes, alicubi latiùs accipiuntur, & ad annos pubertatis non astringuntur? Quid tandem? quod non sine speciali ratione, in regio Caroli diplomate insertum est, Andræam, cum in Galliam vocatus est, adeo juvenem extitisse: Quia nempe agebatur ibi de concedendo illi jure naturalitatis & possessionum in regno, ad quod non parum conducebat quod ab ipso Rege in minori ætate vocatus esset.

Ex his igitur infero sensum illorum diplomatis verborum, *qui tum juvenis & teneræ erat ætatis*, Gallicè, *lequel étoit alors fort jeune & en bas âge*, solùm esse, Andræam prædictum, tunc non fuisse sui juris, sed adhuc minorem & sub tutela aut curatela, ita ut vigesimumquintum annum non attingeret. Et sane id ex aliis ejusdem diplomatis terminis non obscurè colligi potest. Ibi enim habetur, quod cum Rex

Ludovicus ex affectu erga Sanctum Franciscum, optaret habere in suo obsequio aliquem ex ejus, quem promoveret, consanguineis; jussit è Calabria accersiri dictum Andræam ejusdem nepotem: statimque ut in curiam pervenit, eum in ipso suo obsequio retinuit, dato convenienti operarum stipendio, & in dies eum promovit, multaque alia beneficia usque ad obitum suum ei conferre non destitit: hoc est intra octo aut decem menses. Cum enim Rex adventui Sancti Patris non supervixerit nisi 16. mensibus: & illa Andrææ evocatio medium annum ad minus consumpserit, non potest hujus accessui plusquam decem mensibus supervixisse. Jam verò quis hæc facta existimet erga puerum duodecennem, aut quatuordecennem? Non puto talem optasse Ludovicum: non puto talem advocare voluisse Franciscum: non puto talem famulitio Regio fuisse idoneum: neque enim ejus erat conditionis ut Regiæ Ephebiæ accenseretur: Non puto talem & promotionis in curia, & tot beneficiorum regiorum intra tempus adeo breve extitisse capacem. Itaque convenientius est ut dicamus eum tunc viginti duos aut circiter annos natum fuisse, maximè cum 7. annis postea, hoc est anno 1490. quo diploma emissum est, jam aliquas in regno possessiones

acquisiisset, quod de juvene 19. aut 20. annorum, nondumque sui juris vix credi potest.

Quod si Andræas eo tempore quo Sanctus in Galliam venit, jam viginti duos, aut viginti tres annos habebat, quidni illius mater ad sexagesimum quartum accessisset? An ita insolitum est, ut mulieres anno 41. aut 42. pariant, ut ejusmodi partus inter miracula naturæ accenseri debeat.

Quantum ad alios ejus liberos, incertum est quo nati sint ordine: neque Birgitta in ea quam ad Andræam anno 1506. scripsit Epistola, hujus ordinis meminit, sed tantùm unius ejus fratris & unius ejus sororis, quam & Angelam de Alexio nominat. Cùm tamen hi in tabulis Genealogicis Andræa juniores recenseantur, libenter concedo tales fuisse, maximè de Angela quæ eo tantùm anno 1506. in matrimonium collocata est. Verùm neque mirum erit Birgittam etiam post annum 41. duos adhuc liberos habuisse: cum forte tardiùs matrimonio juncta fuerit, aut certe naturæ beneficio abundanti fœcunditate dotata.

At inquies, si Angela Birgittæ filia & S. Francisci neptis anno matris 44 nata est, ut anno ejus 64. Christique 1482. quo Sanctus in Galliam venit, 20. annos habuerit; ergo cum anno 1506. secundùm

matris ad Andræam litteram, in matrimonium locata est, jam annos 44. habebat: hunc enim numerum componunt 20. & 24. at id incredibile est, nec satis consonum epistolæ matris, quæ de illa velut juniori, quam viro jungere recenter constitutum sit, loquitur. Ergo necesse est illam cum Sanctus in Galliam migravit, non habuisse 20. annos: nec proinde matrem ad 64. accessisse: ac consequenter ipsum Sanctum sexaginta sex annos non fuisse natum.

Respondeo hæc omnia facile conciliari, si dicamus Birgittam juxta primam responsionem Beato Fratre quatuor aut 5. annis fuisse juniorem, & tempore quo ille in Galliam transiit, nonnisi sexagenariam. Angelam verò anno illius 46. aut 47. natam, ut tunc 13. circiter annos habuerit. Inde enim solùm sequitur, illam cum matrimonio juncta est, 37. annos habuisse, quod inde provenire potuit, ut ex ipsa matris epistola colligere licet, quod diu expectata fuerit renuntiatio bonis paternis & maternis ab Andræa in Gallia degente facienda, sine qua non ita facilè illius doti provideri poterat.

Forte & aliud responderi posset si penes nos essent originalia Italica illarum litterarum, quarum & terminos & numeros temporarios diligentius scrutari ac observare

possemus. Sed quo jure ex illis litteris non ita authenticis id everteretur quod instrumentis adeo publicis & indubitatis, tantoque omnium annorum omniumque locorum consensu à nobis probatum, confirmatum, evidenterque demonstratum est.

Stet ergo firmum & inconcussum sanctissimum Minimorum Patriarcham anno 1482. in Galliam migrantem, 66. aut circiter annos habuisse: neque contrarium aut ex ætate Andrææ illius ex sorore nepotis, aut ex Philippi Cominæi testimonio conficiendum.

Caput XIV.

Et ultimum.

Conclusio totius Dissertationis.

Vides, opinor, erudite Lector, me doctissimi adversarii argumenta nullo modo dissimulasse, sed clarè ac distinctè proposuisse; atque etiam novam eis vim, novumque robur addidisse. Restat ut omnibus hinc inde examinatis, & justa lance ponderatis, ipse tandem de anno quo B. Pater Franciscus de Paula natus est, & de Ætate quam vixit, æquum judicium feras. Neque enim ego ut judex assideo, sed ut

Digitized by Google

actor apud te quem veritatis amatorem arbitror, causam dico.

Habeo pro mea sententia, primò ipsum summum Pontificem, Leonem hujus nominis decimum, in Bulla Canonizationis Sancti clarè loquentem, mihique, quod adversarius negare non ausit, apertissimè patrocinantem: Quem quidem erroris arguere eò durius videri debet quò vir erat acris ingenii, & magnæ sollicitudinis, quique & Sanctum aliquando viderat, & ejus ἀποθεώσεως negotio singulari studio & diligentia incubuerat.

Habeo 2. doctissimos Simonetam & Sadoletum sæpius supra laudatos, ac omnes tum causarum Auditores, tum Advocatos consistoriales, tum S. R. E. Cardinales eidem Canonizationis operi præpositos: quibus profecto nihil eorum defuit quæ ad explorandam & comperiendam veritatem diligentissimi quique desiderare solent: cum & suo tempore memoria Sancti recens esset, & omnia acta ad ejus vitam pertinentia præ oculis, præ manibus haberent: & si quid maneret quæstionis, ipsius discipulos quos familiariter adhibebant, interrogare, atque etiam juridicè interpellare & examinare possent. Quo quid prodigio majus esset, si in tanta luce caligassent, & ipsam veritatem errori postposuissent.

Digitized by Google

Habeo 3. eosdem Sancti discipulos, ipsius Canonizationis itidem procuratores, qui non solùm ei coætanei, sed etiam ejusdem per multos annos & familiares, & convivæ & arcanorum participes & amanuenses fuerunt: ut meritò affirmare possimus nullos fuisse mortalium quibus optimi Patris Ætas adeo comperta & evidens esse debuerit: & si eos latuit, solis proinde angelis, non hominum cuiquam fuisse notam.

Habeo 4. primum vitæ illius autorem, eumque & ejus discipulum, & eâdem cum illo & domo & mensa tum in Italia tum in Gallia diutius usum; quem quidem in sua historia scripsisse & affirmasse Sanctum anno 1416. aut circiter natum esse, adeò, ut opinor, manifestè cap. 6. superiori demonstratum est, ut nemo probationum nostrarum vim & efficaciam eludere unquam possit.

Habeo 5. ipsum Ecclesiæ ritum ter idem repetentem. Semel quidem in officio Sancti proprio per Clementem VII. an. 1528. post diligentissimum, ut ipse testatur, examen approbato & concesso. Iterum verò in eodem officio sub Gregorio XIII. anno 1574. sollicitè recognito, & ad formam novi Breviarii redacto. Tertio tandem in lectionibus de Sancti Historia Breviario Romano appositis, & de mandato Sixti V.

summi Pontificis ab omnibus qui ad majus officium tenentur, secunda Aprilis quotannis recitandis. In quibus si error est, errabo & ipse non illibenter: malens credere quod recitare teneor, quàm contra id quod tantâ, tam generali, tam publicâ, tam solemni asseveratione firmatum est, quodque ipse alta voce non profiteri non possum, novæ opinioni fidem dare. Sed in iis nec errorem esse, nec erraturum me confido, cum res tanto examini subjecta, totiesque ad limam revocata vix possit esse errori obnoxia.

Habeo 6. immensam ac spississimam testium nubem, ex omni, ut ita dicam, gente quæ sub cælo & in solo Catholico est. Ex Italia scilicet, Gallia, Hispania, Belgio, Germaniaque. Nec tantùm ex Ordinis scriptoribus, sed etiam ex exteris tum regularibus tum etiam sæcularibus. Neque solum è recentioribus, sed & ex antiquissimis, iisque qui ab initio fundatæ Religionis ad nos usque scripserunt: quorum ne unum quidem reperias qui nobiscum non consentiat, seu potiùs qui nobis non prætulerit facem.

Habeo 7. plura alia antiquitatis monimenta causæ meæ apertissime faventia: ut communem illam & universalem imaginum Sancti subscriptionem, qua natus

dicitur anno 1416. & mortuus anno suæ Ætatis 91. Antiquam 13. dierum veneris, & 13. hebdomadarum quæ dies nonaginta unum complectuntur, devotionem: ad totidem annos, quibus Sanctus in vita superfuit, perpetuò venerandos. Vetustissimas ejusdem picturas, quibus ut baculo ob senectutem subnixus repræsentatur; qualis una visitur in Vaticano, celebri Romæ Palatio, statim post ejus mortem delineata; & similia pleraque.

Habeo 8. & maximè traditionem non scriptam qua de manu ad manum per Patrum nostrorum doctrinam ad nos pervenit, Beatissimum Patriarcham & anno 1416. ortum habuisse, & annos 91. supervixisse. Cujus cum nulla prorsus interruptio, nullum initium Ætate Sancti recentius designari queat, necessariò fatendum est eam ad ipsa Sancti tempora referendam, sicque evidentem esse & nostræ sententiæ tunc vigentis, ac ipsius veritatis indicem.

Sed & unam Conventus nostri Turonensis traditionem ad hanc ipsam sententiam demonstrandam invictum prorsus & ineluctabile argumentum esse arbitror. Cum enim constet à tempore omni nostra memoria superiori, eo in Conventu ut certum & indubitatum teneri, Sanctum per 91. annos vitam produxisse: ut hoc esset fal-

ſum, oporteret unum ex his tribus accidiſſe. Nempe, vel quod Religioſi illius Conventus qui tempore Sancti vivebant, & apud quos per annos 25. demoratus fuerat, illius Ætatem ignoraverint. Vel quod tempore adſcriptionis illius in album Sanctorum, hoc eſt intra duodecim annos ab ejus morte, ejuſdem Ætatis jam obliti fuerint: etſi de optimo Patre ſæpiſſime colloquerentur. Vel quod tranſmiſſa ad illos Canonizationis Bulla, priorem ſententiam ſibi compertiſſimam depoſuerint, & æternæ oblivioni adjudicaverint, ut novæ per Bullam inductæ ſubſcriberent ac perpetuo adhærerent. Atqui hæc omnia prorſus incredibilia ſunt & paradoxa, ut rem seriò meditanti patebit: ergo neceſſariò dicendum eſt id quod à tot annis, apud Patres noſtros Turonenſes de ſanctiſſimi Patriarchæ Ætate ratum eſt, idipſum eſſe quod ſemper, & ipſo Sancti tempore, eo in Conventu creditum fuit.

Quid verò in oppoſitum profert adverſarius: nempe aliquas conſequentias ex numeris ut plurimum incertis deductas: ex quibus quidem expedire ſe non ita facile eſt, ſed quæ veritati tanta autoritate, tamque evidenti demonſtratione firmatæ nullatenus præjudicare poſſunt.

Itaque non mihi dubium, erudite Lector,

quin pro me ſeu potius pro venerabili B. Patris Franciſci de Paula Senecta ſententiam feras, omnique abjecta novitate ac ſingularitate, antiquæ & communi ſententiæ inconcuſſe adhæreas. Suadebant prorſus longa itinera variaque negotia quibus ex officii mei debito ab aliquibus annis implicitus ſum, ut hujus Diſſertationis editionem cui nequidem ad hanc uſque horam præſens eſſe potui, in aliud tempus differem: ſed cum inter alias Sanctorum vitas quas prælo mandandas curavimus, ipſa B. Patris vita brevi in publicum proditura ſit, nemo non autor fuit hanc ejus Chronologiæ apologiam neceſſario præmittendam, ut ſic inoffenſo decurreretur pede, & nemo queri poſſet aut ipſam Chronologiam eſſe neglectam, aut opinionem nobis contrariam ex profeſſo diſſimulatam, ne ejus momenta diſſolvere cogeremur. Faxit Deus ut omnia in Beatiſſimi Patriarchæ gloriam, & in Ordinis noſtri decorem cedant.

FINIS.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA
BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google